GILBERTI JACCHAEI INSTITUTIONES MEDICAE

Gilbert Jack

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
29 A
13

3.

M
14-28.6.25

empto 1 f. 2 grossis

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

GILBERTI JACCHÆI

INSTITUTIONES MEDICÆ

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Editio tertia,

Prout Autor eam ante mortem recognovit, emendata.



LUGDUNI BATAVORUM,

Ex Officinâ JOANNIS MAIRE.

cIↄ Iↄ c LIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO ILLUSTRI,

D. FRANCISCO AB AERSSEN,

EQUITI AURATO, TOPARCHÆ SOMMELSDYCKENSI, & PLATENSI, STATUS CONSILIARIO, &c. ACADEMIÆ CURATORI,

S. P.

QUAMQUAM variæ extent nobiliſſimæ hujus artis inſtitutiones, nullæ tamen, aut paucæ, quod pollicentur, efficiunt. Nam ut omittam quarundam faſtidioſam prolixitatem, nonnullæ totæ ſunt in controverſiis ſcientiæ naturalis diſſolvendis, quas fortaſſe aliunde haurire ſatius eſſet. Ego verò hoc egi, ut totius Medicinæ (quod ab aliis neglectum eſt) brevis illa quidem, ſed perſpicua idea oculis

ſubjiceretur, in qua non Phyſiologiam modò, ſed & ceteras partes ita perſequor, ut nihil magnopere deſiderari putem. Utrum autem, quod volui, aſſequutus fuerim, viderint alii. Ceterùm ut huic opellæ aliquid lucis accedere patiaris à nominis tui ſplendore, Illuſtris Domine, unicè peto. Tibi enim jure, meritóque inſcribo. Jure, quia, inter tot Reipub. negotia, Academiæ quoque noſtræ curam ſuſtines: eoque ad te non publicorum modò ſtudiorum, ſed & privatæ diligentiæ rationes quodammodo pertinent. Merito autem, propter veterem benevolentiam, qua me proſequeris. cujus ſanè fructum difficilibus temporibus expertus ſum.

Digitized by Google

ſum. Accipe ergo hoc à me pignus, non gratiæ tibi referendæ, ſed potius publicè teſtandæ. Vale.

GILBERTUS IACCHÆUS.

Digitized by Google

In V. Cl.

GILBERTUM JACCHÆUM.

C*Vrru quadrijugo Iacchæus Honoris ad ædem*
Maximus ingenio fertur, & arte potens.
Si Sophiam pandat, cuncti pendemus ab ore.
Eloquium forſan tale Platonis erat.
Nec ſatis hoc. Eadem gaudet ſignare libellis,
Quos velit eſſe ſuos dius Ariſtoteles.
Adde quod, ut quondam Podalirius, atque Machaon,
Ab Stygis innumeros aſſerit ille lacu.
Nunc etiã optatas profert in luminis oras,
Quæ placeant Coo Pergameoq; ſeni.
Dicite, quanta vir is mereatur præmia laudis,
Qui, quæ vix alii ſingula, juncta tenet.

Gerard. Jo. Voſſius.

Excla-

Exclamatio maximi medicorum: Ὁ βίος βραχύς. ἡ δὲ τέχνη μακρή. Cujus in ſequenti Carmine fit mentio. extat primo Aphoriſmorum: meminitque Seneca initio De brevitate vitæ.

Digitized by Google

PETRI SCRIVERII

Carmen de novis Inſtitutionibus Medicis, Enchiridii forma editis

à GILBERTO IACCHÆO, Med. & Philoſopho præſtantiſſimo.

Longam artem Hippocrates, medicorum gloria prima,
Et pariter VITAM *prodidit eſſe* BREVEM.
De medica oraclum, quo diû nil certius, arte:
Cogimur & vitæ de brevitate queri.
Cùm, Medicina, volent tot carmina longa per orbem,
Nil profecturis carmina ſtructa modis,
Irrita neglectis cudunt medicamina CAUSIS,
Et Stygiis æger præcipitatur aquis.
Nec profligandis ſunt cõmentaria morbis,
Vanus & (heu) labor eſt pharmacopœe tuus.
Ipſa nova AſclepI tentatur natio morbo.
Heîc ubi nil herbæ, nil & Hygeia poteſt.

Ipſe cubat medicus, cui ſola Empirica cordi,
Et Methodus; ſanum non habet ille caput.
Sed tua quod Themiſon ventoſa cucurbita quærat,
Iuppiter! hoc pereat cum Themiſone genus.
Dogmaticuſque velit ſe quivis doctor haberi,
Et medicus ferri clara per ora virûm,
Cuî Logos in pretio. Phryx verò & barbarus eſto,
Cuî vilet magnus (pro pudor!) Hippocrates.
Naturæ ingreditur cujus nunc templa miniſter
Strenuus; heîcque acrem ſe probat eſſe virum.
Ille novos medicos (nattæ, vappæque ſtlete)
Inſtituat; vacuo naviget amne Charon.
Nec pater oſſa legat, nec tot modò funera mater:

Augeat aut cenſum trux Libitina ſuum.
Sic fugientem animam poterit revocare Machaon
Belgicus, & quiſquis ſit Rationis amans.
Sic humana ſalus toto curabitur orbe:
Hippocrates dicti dememinensq; ſui,
Gilberto præeunte, BREVEM *mox adſeret* ARTEM;
ET VITÆ LONGOS *adſeret ille* COLOS.

ENCO-

ENCOMIUM ALTERUM,

Eidem viro, Philoſophicis ſcriptis claro, & nunc demum Medicinæ libros feliciter molienti.

POſtquam beatas Cœlitum petiit domos
Ingens Lycei lumen Heurnius pater;
Cœloque poſtquam clarus ille Pavius,
Suadæ medulla, ſidus additum novum:
Nil è cathedris prodiit Galenicis.
Apollinare obmutuit collegium.
Non ſcripta cedro digna vendidit Tryphon,
Coæ inſulæ illa, aut invidenda Pergamo,
Manus deorum deſiêre pharmacum,
Opemque ferre languidis mortalibus.
Nemo eſt, ut ante, ſævi ab Orci faucibus
Retractus, ipſe gaudet umbris Cerberus,
Trino ſalutans portitorem gutture;
Gaudentem & ipſum, & lintre plena turgidum.
Tandem (heu) miſertus, ſtrage motus & gravi
Gilbertus, ecce, occurrit, & pugnat ſtylo,
Uſum medendi ſex libellis edocens.
Bellè hercle, temporíque! ne Bataviæ

 Hor-

Horrenda Peſtis vaſtitudinem inferat.
Iam jam dolentem me videre Cerberum,
Puto, atque inanem navigare Porthmea.
Hic gravia damna, quæ per Heurnii necem
Cineresque Pavl paſſa pridem Patria eſt,
Penſabit unus, inſtar Æſculapii.
Repende grates, Patria; ô! quid reſtitas?
Dubitaſne, gallum cui ſacrare debeas?

A. P.

INSTI-

Digitized by Google

INSTITUTIONES MEDICÆ

Auctore
GILBERTO IACCHÆO.

CAPUT I.

De Medicinæ conſtitutione.

OMISSIS ſectis Methodicâ & Empiricâ, conſilium eſt, Rationalis, omnium quippe perfectiſſimæ, inſtitutiones breviter quidem, ſed tamen perſpicuè tradere. Initium operis à Medicinæ conſtitutione faciam: qua ignorata, neceſſe eſt omnia alia inde dependentia pariter ignorari.

Artis hujus conſtitutio in tribus eſt poſita; *Subjecto*, (quo revocantur Medicinæ principia) *Diviſione*, & *Fine*.

Subjectum, circa quod verſatur Medicus, omnium confeſſione, eſt corpus

Digitized by Google

corpus humanum quà ſanabile. Nam quanquam homo conſideretur ab Ethico, Phyſico, Theologo; non tamen conſideratur cum relatione ad ſanitatem, quod facit Medicus. Modus ergo conſiderandi hominem, diſtinguit Artem hanc ab aliis. Phyſica ſiquidem conſiderat hominem, quà mobilem. Ethica, quà virtute informandum. Nec refert quod multa ſint Phyſicæ cum Medicina communia, ut tota doctrina phyſiologica; quia Medicina hac parte ſubjicitur Phyſicæ, ſumitque tanquam principia, phyſicorum concluſiones. Quâ de cauſa factum eſt, ut hæc Medicinæ pars dicta fuerit ſpeculativa; non quod vere ſit ſpeculativa, ſed quia à praxi longius abeſt. Et quanquam ſtirpes, metalla, & hujuſmodi materia medica, hîc conſiderentur, omnia tamen referuntur ad corpus humanum; ad quod etiam eorum temperamenta exiguntur.

Quod

Quod ad *finem* attinet; ſciendum, ſciplinarum ſpeculativarum finem, non eſſe diſtinctum à rerum ubjectarum cognitione; quod in Mathematicis patet. At diſciplinarum effectricium alia eſt ratio: nam cognitio hic in ſe ipsâ non quieſcit, ſed ordinatur aliò, nimirum ad operis alicujus directionem; ſicut in artibus mechanicis videre eſt. Iam vero medicina cum ſit diſciplina factiva, cognitionem omnem aliò refert, tanquam ad finem. Finis hic eſt ſanitas; conſtitutio, nimirum, hominis integra, qua omnes functiones animales, vitales, naturales inculpatè obeuntur: proinde huc omnia in Medicina referuntur. Præcepta enim aut reſpiciunt præſentis ſanitatis conſervationem, aut abſentis revocationem. Incumbit ergo medico non tantum, morbum præſentem debitis auxiliis tollere; ſed ne redeat ſedulò cavere, eamq́ue victus rationem inſtituere quæ ſa-

nitatem

nitatem maximè conſervare poſſit. Nam, curare, non tantum eſt ſummovere ea quæ actiones lædunt, ſed & mala imminentia præcavere. Quâ de causâ ab Hippocrate lib. de Flat. (ſi modò ſit illius Author) Ars iſta definitur, *ejectio*, & *detractio*. quod fieri non poteſt ſine accurata cognitione, non tantum corporis humani, ſed etiam aliorum medicamentorum, tam ſimplicium, quam compoſitorum.

Quod ad *diviſionem* attinet; quanquam Galenus, finem conſiderans, duas Medicinæ partes conſtituat, ὑγιεινὴν; quæ præſentem ſanitatem tuetur, & ab imminentibus malis conſervat; & θεραπευτικὴν, quæ ſanitatem reſtituit: (quæ, quia in operatione conſiſtunt, à quibuſdam Practicæ dicuntur) alii tamen non incommodè adjiciunt, Phyſiologiam, Pathologiam, eamque partem quæ σημειωτικὴ dicitur. Phyſiologia hic non eſt cujuſvis corporis

poris

Digitized by Google

poris naturalis conſideratio ; ſed humani tantum , eorumq́ue quæ illi ſecundum naturam inſunt; qualia ſunt Elementa, temperamenta &c. Pathologia explicat ea, quæ homini contra naturam inſunt; qualia ſunt illa tria, morbus, ejus cauſſa, & ſymptoma. Σημειωτικὴ ex ſignis, non tantum de præſenti aut præteritâ conſtitûtione judicat, ſed & futurum morbi eventum prævidet. A quibuſdam hæ tres ad illam partem Medicinæ quæ ſpeculativa dicitur, referuntur. Speculativa ergo has tres ſub ſe continet ; ſicut & Practica totidem ; Διαιτητικὴν, Φαρμακευτικὴν, χειρουργικὴν. Prima conſiderando ſex res non naturales, convenientem unicuique diætam præſcribit. Secunda convenientibus medicamentis morbum profligat. quo pertinet omnis medicamentorum tam cognitio, quam præparatio. Poſtrema denique urendi , ſecandi, omniumque earum opera-

Digitized by Google

operationum quæ manu peraguntur, regulas proponit & tradit. Ex quibus patet, *Medicinam eſſe artem ſanitatis humanæ effectricem. Artem* dico propriè. nam Scientia non eſt. Ac proinde Avicenna ſtatim in principio, licet ſcientiam dixerit, practicam tamen adjecit. Dico *ſanitatis humanæ;* ut Medicum à Veterinario & Mulo medico diſtinguam. Efficere, non tantum eſt abſentem ſanitatem medicamentis revocare, ſed & bonis alimentis præſentem conſervare; ſiquidem & conſervare efficere eſt.

CAP. II.

De Elementis.

QUanquam Medici cum Galeno triplicem ordinem conſtituãt, Definitivum ſcilicet, Compoſitivum, & Reſolutivum; nos tamen, quia definitivus non incommodè ad alios referri poteſt, duos reliquos perſe-

Digitized by Google

perſequemur. Ordo omnis eſt habitudo plurium ad unum. Analyticus verò vel Reſolutivus docet omnia in arte ad unum finem ordinare. Initium ergo ducens ab ultimo fine, media quibus talis finis obtineri poteſt, indagat; ſicut in Ethicis Ariſtotelis, & ejuſdem lib. de demonſtrat. videre eſt. Quo etiam ordine, diſciplinæ omnes, tam practicæ, quam theoreticæ, traduntur. At Compoſitivus ſeu Syntheticus ordo, à primis ſeu ſimpliciſſimis cauſis ſeu principiis incipiendo, procedit ad ea, quæ inde conſtant: quod factum eſt à Philoſopho in Libris Acroamat. aliiſque ſequentibus. Nos itaque, quia omnis ordo noſtræ faciliori cognitioni inſervit, Phyſiologiam ordine compoſitivo trademus; quod olim ab Avicenna, & Averroe in ſuo Colliget, factitatum video. &, quia corpus humanum Medicinæ ſubjectum, ſua principia, & cauſas internas habet; elemente

menta nimirum: ab iis initium ducemus.

Pars hæc *Phyſiologia* dicitur; quia ſolius humanæ naturæ, & eorum quæ illi ſecundum naturam inſunt, conſiderationem proponit. Hæc autem ſunt ſeptem illæ res, naturales dictæ; Elementa, Temperamenta, Humores, Spiritus, Partes, Facultates, Functiones ſeu Uſus.

Quanquam vero elementorum cognitio à Medicis hominis cognitioni ſit deſtinata: tamen referri poteſt & ad aliorum corporum, quorum in Medicina uſus eſt, cognitionem. quod tum magis conſtabit, cum medicamentorum vires, & facultates, privatim indagabuntur. Nec tamen altius aſcendemus ad curioſam primorum principiorum (de quibus Phyſici) contemplationem; ſed hic pedem figentes, Elementa, cum relatione ad mixtionem, conſiderabimus.

Eſt autem *Elementum*, (nam ſuppono

bono eſſe in natura) *corpus ſimplex, ex quo mixtum ſicut primò conſtat, ita in id ultimo reſolvitur.*

Dico *corpus*, ad excludenda prima principia; materiam ſcilicet & formam. *Simplex*, non quod careat compoſitione ex aliis, nimirum materiâ & formâ: ſed hoc dicitur per comparationem ad mixtum. quaſi dicas; Elementum purum, ut aër, non componitur ex aliis elementis, quemadmodum os, aut rhabarbarum. Et licet corpus cœleſte ſimplex quidem ſit, quia tamen non refertur ad aliorum compoſitionem, (nam res miſtæ non componuntur ex cœlo) reliqua definitionis verba porro adduntur.

Elementa numero eſſe quatuor, demonſtrant Phyſici, partim ex qualitatibus motricibus, partim ex alteratricibus, calore, frigore, humiditate, & ſiccitate. Et quanquam elementorũ actiones in mixtione fiant à qualitatibus hiſce pri-

mis;

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

mis; cave putes tamen eas eſſe formas ſubſtantiales: (quod quiſpiam putaverit.) ſunt enim revera ipſarum formarum quaſi inſtrumenta. Et quia mixta omnia hiſce qualitatibus, quanquam remiſſis, participant; neceſſario ſequitur, eas in ipſis elementis eſſe intenſiſſimas & perfectiſſimas. Propter quod enim unumquodque tale eſt, illud magis eſt tale. Miſta moventur localiter, propter elementum dominans; ſic etiam calefaciunt, aut refrigerant, ob eandem cauſam. Et quanquam Philoſophi conſiderent elementa non tantum ut ſunt miſtorum principia; ſed etiam ut partes mundum integrantes, quatenus nata ſunt certum in mundo locum occupare: Medici tamen hoc poſteriori modo non conſiderant, ſed priori tantum. Qua de cauſa, omiſſis eorum qualitatibus motricibus, alteratrices conſiderabimus. Supponendum ex Phyſica; ignem eſſe cali-

lidiſſimum & ſicciſſimum: terram
:ciſſimam & frigidiſſimam;(quali-
tes paſſivæ in omnibus ſunt inten-
ſſimæ, non vero activæ)aquam hu-
ıidiſſimam & frigidam; aërem, ca-
dum & humidiſſimum. Calor eſt
ımmæ activitatis, ſed minimæ re-
iſtentiæ. intelligo reſiſtentiam,
juam Phyſici vocant privativam,
ıon poſitivam, quæ ſemper eſt acti-
ritati æqualis. Siccitas contra, mi-
nimæ eſt activitatis, ſed maximæ re-
ſiſtentiæ. Ad caloris activitatem
proximè accedit frigus, verum reſi-
ſtentia eſt major. Humiditas in
agendo potentior eſt ſiccitate, non
item reſiſtendo. Hoc modo ele-
mentorum quaſi proportiones con-
ſervantur. Nam ſi tam reſiſteret
ignis, quam ageret; dudum reliqua
elementa conſumſiſſet. Cum itaque
à natura ſit comparatum, ut unum-
quodque contrarium agat in ſuum
contrarium; fit, ut calidum, agendo
in frigidum, incaleſcat. Idem de
ſicco,

ſicco, & humido, cenſendum. Ex hac mutuâ actione oritur temperies miſtorum; non tantum in rebus naturalibus, ſed & artificialibus; ut in officinis videre eſt.

Et quia elementa ordinata ſunt ad miſtionem; qualitates primæ dividuntur in activas & paſſivas. Calor enim & frigus habent rationem agentis, quia ſubjectam materiam determinant: ſicut humiditas & ſiccitas, patientis, quia earum interventu materia ſubjecta diſponitur ad formam miſti recipiendam. alioqui hæ etiam agunt, ut diximus, verum remiſſe. In miſto ita eſt comparatum, ut illius moles, & corporatura, à terrâ, & aquâ, pendeat; vis tamen, & agendi efficacia, à reliquis elementis. Si ergo unum elementum, alterum in agendo nimium ſuperat; non erit miſtio, ſed ſimplicis elementi generatio. Sin vero paribus quaſi viribus, aut non ita imparibus, concurrant; generabitur

miſtum. Miſtum enim, nec eſt
ta, aut ignis; ſed quidpiam ter-
m, elementorum vires, remiſ-
tamen, in ſe cohibens. Mixtio
nnis eſt generatio rei miſtæ. Quæ
fiat, requiritur concurſus ele-
ıentorum in unum locum, (hic
lurimum terra eſt) eorundem in
ninimas partes diviſio, poſtremò
eactio, quâ in ſe mutuò agunt, do-
ıec omnia corrumpantur, & nova
orma miſti de novo generetur. Ra-
tio ergo miſtionis eſt poſita in in-
troductione novæ formæ ſubſtan-
tialis; ſuppoſita tamen elemento-
rum alteratione & corruptione. Er-
gò unio formæ cum materia, non
eſt miſtio; quia utraque manet. at
in ferro, lapide, oſſe, non manent
elementa actu, ſed tantum poten-
tia; quatenus eorum qualitates in
iis continentur. Quæ ita accipi volo,
ut ſingulis rei miſtæ partibus omnia
inſint elementa; quælibet enim
rei miſtæ pars, etiam minima, ex
B ele-

elementis, eo quo diximus modo, eſt miſta.

CAP. III.

De Temperamentis.

EX elementis, hoc modo & alteratis, & corruptis, oritur modus quidam ſubſtantiæ, quem quidam temperamentum ſubſtantiale dixere. hoc eſt, ſubſtantia cum tali denſitate, raritate, craſſitie, aut tenuitate. Sed quia hoc ſenſibus non ita innoteſcit; eo relicto, Medici provocant ad temperamentum accidentale, quod ex qualitatibus elementorum contemperatis gignitur. Hoc illud eſt quod κρᾶσις nominatur, ſive complexio. *unio* nimirum, *ſeu conjunctio quatuor primarum qualitatum elementarium, refractarum tamen, & ad quandam mediocritatem redactarum.* Hæc eſt conveniens diſpoſitio ad miſti formam tum introdu-

troducendam, tum conſervandam. Formæ enim ſubſtantiales, ut canis, lapidis, non poſſunt agere, aut ſupereſſe, niſi habeant ſubjectum hoc modo temperatum. actiones ſiquidem animalis proximè à facultatibus fluunt: facultates manant à formis ſubſtantialibus; quæ ſine temperamento, tanquam conveniente diſpoſitione, nec eſſe, nec agere poſſunt. Faceſſant igitur Scotus, Conciliator, aliique, exiſtimantes, qualitatibus primis pereuntibus, ſuccedere novam quandam qualitatem virtute illas continentem, quam temperamentum dicunt. Qualitas enim hujuſmodi nec ſenſu, nec experientia, nec ratione deprehendi poteſt. Erroris autem occaſio inde eſt, quod inter temperamentum & facultatem non ſatis acutè diſtinguunt. Ridiculum eſt, quod Fernelius putat, temperamentum eſſe qualitates integras, nec refractas, ſed eodem prorſus modo affectas,

Digitized by Google

quo in elementis erant. Quis enim animo concipiat, quomodo calor & frigus in ſummo gradu ſine mutuâ actione cohærere poſſint. Revera enim eſt illa qualitatum harmonia instituta à natura ad perfectas mixti actiones edendas. quæ in impartibili ſeu indiviſibili poſita non eſt, ita ut ſi vel minimum ab ea receſſerit qualitas; miſtum diſſolvatur. habet enim quandam latitudinem in ſingulis miſtis, intra quam vagari quaſi licet: totius tamen latitudinis quidam ſunt termini & fines, quos ultra, citraq;, nequit conſiſtere miſtum.

Quod ſi primæ qualitates ex æquo concurrant, inque ſe agant & refringant in puncto medio, ita ut quot ſint gradus caloris, totidem ſint frigoris, humiditatis &c. oritur *temperamentum ad pondus* ſecundum proportionem Arithmeticam. In hac enim eſt æqualis exceſſus, ut 2. 4. 6. 8. 10. nam ſicut 10. ſuperant 8.

duo-

duobus, ita 4. ſuperant 2. duobus. Sin vero quatuor qualitates non ex æquo concurrant; ſed calor vincat frigus, aut contra; aut ſiccitas humiditatem, vel humiditas ſiccitatem, oritur *temperamentum ad juſtitiam* ſecundum proportionem Geometricam; quæ eſt poſita in comparatione diverſorum miſtorum ad ſuas operationes. Nam quemadmodum in repub. diſtribuuntur dignitates pro civium conditione, ita in hoc temperamento qualitates diſtribuuntur pro cujuſque miſti exigentia. aliud enim temperamentum requirit lapis, aliud homo, canis, &c.

Temperamentum ad pondus proponitur tanquam aliorum regula, & norma: proinde à Galeno comparatur ſtatuæ Polycleti. Alioqui nec datur, nec dari poſſe, multi contendunt. Quanquam quidam diſtinguant inter qualitates alteratrices, & motrices: & harum qui-

dem ad pondus unionem fieri poſſe negant, quia rerum miſtarum moles ſupponit dominium terræ, & aquæ: illarum vero temperationem in re animata fieri poſſe, negant: in inanimato poſſe dari, non adeò improbabiliter contendunt. Temperamentum hoc eſt ſimplex & unicum; ſicut illud, quod ad juſtitiam dicitur, eſt multiplex, pro varietate qualitatum primarum, quarum una poteſt aliarum menſuram excedere; ut calor ſiccitatem, aut frigus calorem. Quod ſi una tantùm qualitas excedit, temperamentum ſimplex nominatur, eſtque quadruplex, quemadmodum ſunt quatuor qualitates primæ. ſin autem duæ qualitates ceteras vincant, oritur temperamentum compoſitum; Calidum ſiccum, calidum humidum, frigidum ſiccum, frigidum humidum. quæ ſola agnoſcit Averroes, ſicut ſimplicia rejicit. Corpora homogenea, & inanimata eadem, ubique

que temperatione conſtant; ut in lapide, metallo, videre eſt. At animatorum eſt ratio, in quibus unica temperatio eſſe nequit, quandoquidem variæ & diverſæ functiones ſunt obeundæ. Hinc quædam partes ſunt duræ & frigidæ, ut oſſa; aliæ molles & humidæ, ut cerebrum.

Sed quia de viventium temperie nobis potiſſimum agendum eſt; age, paululum hîc ſubſiſtamus. Diſtinguendum etiam inter rem vivam & mortuam. Ac primò quidem eſt temperies quædam innata ſingulis partibus, ex elementorum qualitatibus primis conſtans; diſpoſitio nimirum corporis antecedens, ad animam recipiendam idonea; diffuſa illa quidem per totum corpus, non tamen eodem modo; alia enim eſt in carne, alia in oſſe, alia in nervo, &c. Hæc ſicut animam antecedit; ita eadem abeunte non perit; verum diu poſtea ſupereſt, nec corrumpitur, niſi per putredinem.

In eâ tamen ubique abundat frigus, (de Animalibus loquor; nam plantarum alia eſt ratio, ut in aromatibus videre eſt) & cum frigore quibuſdam in partibus conjungitur ſiccitas, ut in oſſe; in quibuſdam humiditas, ut in carne & cerebro videre eſt. Ut enim corpus eſſet ſolidum & denſum, abundare debebat terra, elementum frigidum. Quando vero pars aliqua dicitur calida, aut frigida, intelligitur ſemper de hac innatâ temperie; quæ eſt quaſi gradus quidam ad ſequentem temperiem, animam comitantem: talis autem, quaſi influens & adventitia quæque, anima poſita, ponitur: eâdemque ſublatâ, tollitur. Eſt calida, & humida, inſtituta tota ad viventis tum conſervationem, tum operationem; &, ut verbo abſolvam, *eſt calor vitalis ab humido primigenio receptus, à quo vita pendet.* Et licet per totum diffundatur, maxime tamen in corde reſidet: quia hæc pars eſt fons

fons caloris, & officina ſpiritus vitalis, à quo ad reliqua membra derivatur. Hoc temperamentum in homine aut cane ſi conſideres, omnes partes prorſus erunt calidæ, nec ulla apparebit frigida. & quanquam cerebrum temperamento innato ſit frigidum, quod in mortuo apparet: tamen eadem pars in homine vivo calida ſentitur, ob temperiem iſtam adventitiam & influentem.

Si iſta duo temperamenta conjungantur, oritur temperies illa quæ à Medicis vocatur actuata. Quemadmodum ex corpore & anima fit unum quidpiam; ita ex hiſce duabus, una fit abſoluta hominis temperatio, in quo calor abundat. Subjectum itaque hujus actuatæ temperiei eſt pars animata (non humor, ſpiritus, aut excrementum) homogenea, aut heterogenea: quanquam propriè heterogenea nil aliud ſit, quam homogeneorum copulatio. Et quia temperatio ad operationem

refertur, anima vero ſine calore nihil agit: (nam frigus adverſatur animæ) fit, ut talis temperies ſimpliciter ſit calida. Actionum enim multitudo, varietas & perfectio, cum ſine calore fieri nequeat; declarat ſatis, temperiem actuatam eſſe calidam; &, ſi quibuſdam creditur, calidiſſimam. Sin vero innatam conſideres, quæ ex elementorum permiſtione naſcitur, quæque ſicut animam præcedit, ita & abeunte permanet; aliter ſentiendum erit. Homo enim hac temperatione perfectiſſima præditus eſt; nec dominatur calor, ſicut in priore. Cum enim habeat animam longè nobiliſſimam, æquum porro eſt & habere corporis temperiem illi reſpondentem. Quod vel ex tactu manifeſtum apparebit, qui in homine exquiſitior eſt quam in ceteris animalibus; quod ſanè non fieret, niſi homo haberet perfectiſſimum temperamentum. Si enim comparetur
cum

cum reliquis animalibus, nec craſſus eſt, nec gracilis; neque calidus, neque frigidus; neque humidus, neque ſiccus; neque alio modo excedens; ſed inter omnia hæc temperatus. Nam quanquam oſſa dura ſint, tamen caro mollis eſt; & ſic, ut cor calidum exiſtat, contra cerebrum frigidum. Proinde ſi partes inter ſe conferantur; quantum una declinat ad frigus, tantum altera ad calorem. Idem in aliis qualitatibus judicato. Non ergo omnium membrorum eadem temperies, (quod fieri nequit:) ſed tamen omnium membrorum, diverſè temperatorum, eſt debita proportio, &, ut ita dicam, competentia.

Sed ad temperamentum actuatum ſeu influens redeamus; quod in Cholericum, (ita vulgo dicuntur, quamvis minus commodè) Sanguineum, Pituitoſum, & Melancholicum diſtinguitur; quæ dicuntur reſpondere quatuor elementis,

 & qua-

& quatuor humoribus. Quod cuivis patet: cholera enim eſt calida & ſicca, reſpondens elemento ignis; ac proinde bilioſi calidi & ſicci ſunt. idem de cæteris judicandum eſt.

Temperies vero cujuſque ex variis ſignis deprehendi poteſt; tactu nimirum, ſanguine, pilis, colore &c. ſed omnium optime, meo judicio, ex moribus: bilioſi enim ſint celeres, inquieti, ingenio acuto; pituitoſi contra. Ex temperatione ſequitur ſexus, ſanitas, ægritudo, ætas: ſpatium ſcilicet ſeu duratio vitæ; qua, caloris in humidum actione, corporis conſtitutio manifeſte mutatur. Mutatio iſta à primâ hominis generatione incipit. Ætates variè numerantur. Hippocrates Libro de Carne ſeptem numerat: alii quatuor; Adoleſcentiam nimirum (hæc infantiam, pueritiam, pubertatem & Adoleſcentiam propriè dictam comprehendit) ad annum 25. aut 30. Juventutem,

tem, ſeu florentem ætatem, ad 36. aut 40. annum. tertiò Conſiſtentem ætatem, ad 45. aut 50. annum. Poſtremò ſenectutem; quę & decrepitam comprehendit, extenditurque ad vitæ finem. Singulis ætatibus ſuum eſt temperamentum. Infantes calidiſſimi & humidiſſimi ſunt: ſicut decrepiti frigidiſſimi & ſicciſſimi. Senectutis ſiccitas non eſt æſtimanda ab excrementis quibus abundat; ſed ſecundum partium ſolidarum ſubſtantiam, quæ eſt ſicciſſima. Controverſia tamen non levis exiſtit, de Iuvenum temperamento; an ſit calidius puerorum. Nam Galenus arbitratur parem eſſe in utrâque ætate calorem: cum tamen ratio ſuadeat, puerorum intenſiorem quidem eſſe, blandum tamen & vaporoſum; juvenum minus intenſum, acriorem tamen & mordaciorem; qua de cauſſa ſæpius corripiuntur ardentibus febribus. Ætatum vel conſervatio, vel cor-

ruptio

Digitized by Google

ruptio, multum pendet à victu, exercitio, rebuſque aliis non naturalibus: adeò quidem ut, ſi annos conſideres, juvenes quidam ſint temperamento ſenili, ſenes juvenili. Et quamquam humidum nativum poſſit interdum perfectius, & melius renovari, quam à principio fuit: tamen abſolutè loquendo, in ordine ad vitæ durationem, nullo unquam tempore poteſt in melius inſtaurari, ſed ſemper in deterius. Nã cum perpetuò debilitetur calor, & ab alimento minuatur, humidum autem conſumatur; inevitabilis tandem ſequitur mors, rerum linea ultima. Porro dixi, ſenectutem eſſe frigidam; quod intelligendum eſt in comparatione præcedentium ætatum. nam interdum contingit, duos ſenes ita eſſe affectos, ut alter altero longè ſit calidior. nam temperamentum ab origine inſitum, modum quaſi præſcribit ſequentibus ætatibus: adeò quidem, ut qui

in in-

in infantiâ calidiſſimus ſit, in ſenectute verò frigidus; tamen comparatione ejus qui ab initio temperamento ſit frigidiuſculo, calidus videri poſſit: quod intelligi volo, modo nullum ſit, aut non adeò magnum in victu erratum.

CAP. IV.

De Calido innato, & Spiritu.

DIſputationem de Elementis excipit caloris conſideratio. quem duplicem faciunt, Elementarem, & Vitalem: cœleſtis enim ad hos duos revocatur, non ideo dictus, quod cœlo inſit, (nec enim cœlum eſt capax qualitatis elementaris) ſed quod lucis & radiorum cœleſtium vi hic apud nos gignitur. In rebus inanimatis miſtis eſt tantum elementaris; viventibus & hic, & vitalis, porrò ineſt. Elementaris eſt ſingularum partium, ex innata earum

earum temperatione, elementorumq; permiſtione proprius: qui ſicut animam antecedit, ita eâ abeunte ſupereſt: cujus extinctio non eſt mors, ſed putredo. Vitalis animam comitatur; cujus participatione vita, ejuſdemq; extinctione mors definitur. Hic duplex cenſetur. alter cujuſque membri proprius, illique à primo ortu inſitus. Partes enim, cum ſint animatæ, calorem quoque miniſtrantem habere debent. Hujus ſubjectum eſt humidum primigenium, per univerſum corpus diffuſum. Galenus in com. 14. Aph. 1. ait uſurpari poſſe & pro nuda qualitate & pro ſubſtantiâ calidâ. eſt autem calor diſpoſitio in corpore animam conſervans, ejuſque immediatum inſtrumentum. Humidum primigenium, hoc calore perfuſum, ingreditur ſingulorum membrorum ſubſtantiam. Præter inſitum membris calorem, alius eſt adventitius, & à corde, viſcere calidiſſimo,

diſſimo, influens in cætera membra, eorumque inſitum calorem augens. Non eſt æqualis gradus caloris in ſingulis membris. plus enim eſt in uno membro quam alio, plurimum verò in corde. unde calidius membrum agit in minus calidum, impertitque aliquid ſui caloris. Proinde ſi cor conſideres, calor hic eſt illi inſitus, non influens: at reliquorum membrorum reſpectu in quæ agit cor, influens eſt; pro varietate autem operationis aliter, & aliter temperatur. Qui inſervit functioni naturali, craſſior eſt; qui autem animali, ſubtilior. Influens calor non eſt diverſæ naturæ ab inſito; ſiquidem pars quædam eſt inſiti, ad reliqua membra derivata. Proinde in ſingulis partibus calor influens & inſitus uniuntur; eſtq; calor actuatus, qui non diſtinguitur ab inſito & influente ſimul junctis. Non eſt putandum hunc calorem diſtingui eſſentiâ & ſpecie, ab elementari, verum

rum modo quodam: nam alimentis calidis conſervatur, frigidis vero extinguitur; quod non fieret, ſi diverſæ eſſet naturæ. Et quia humidus, magis aëreus, quam igneus, judicatur. Quod tamen non impedit, quo minus primigenium humorem conſumat, per accidens tamen: nam quamvis illum per ſe conſervat & reficit, nihil tamen impedit, quo minus per accidens contrarium faciat: quod ex ætatis mutatione conſpicuum evadit. Quod ſi intendatur, ſicut in febre, (in qua augetur & intenditur ex febrilis caloris acceſſu) totum humidum brevi conſumet: & quia natura calidior eſt ambientis calore, nunquam putredine extinguitur: nec unquam viſum eſt animal vivum ſecundum omnes partes putreſcere. Porro, quod quidam dicant huic calori non adverſari frigus, mirum eſt; cum videamus, in corde, frigidi aëris appulſu, temperari. remiſſio iſta caloris

loris eſt à contrario frigore. Accedit quod multi frigore pereant: quod fieri non poſſet, niſi illi contrariaretur.

Caloris innati & actuati ſubjectum, (quod in genere humidum primigenium dicitur) eſt quodvis membrum, tam homogeneum, quã heterogeneum: quodvis enim vivit; at vita in calore & humore conſiſtit: quidvis nutritur; at nutritio omnis à calore eſt. At influentis ſubjectum eſſe ſanguinem & ſpiritum, docet ejus diffuſio per univerſum corpus. Beneficio enim arteriarum, Cor toti corpori calorem impertit: arteria autem receptaculum ſanguinis tum calidioris, tum acrioris. Sicut ergo innatus calor naſcitur cum ſingulorum membrorum ſubſtantia; conſequiturque animam, ut eſt in ſingulis membris: ita influens, à corde tanquam ſubjecto, & fonte, derivatur in reliquas partes: quæ poſſunt dici habere calorem

lorem, ut ita dicam, paſſivè, ſicut cor activè.

Caloris Domicilium maximè proprium, creditur eſſe ſpiritus vitalis, non animalis, aut naturalis. Spiritus autem hic corpus eſt aëreum, tenue, vapori perſimile, minime conſpicuum, arteriæ incluſum, ne diſſipetur. Hunc eſſe in nobis, evincunt cordis ſtructura in ſiniſtro ſinu, ceteraque indicia ab anatomicis tradita. Et quanquam ſanguis arterioſus vehiculum ſit caloris influentis: tamen maxime creditur vigere in tenuiſſima illius portione, quam Spiritum vocant. Spiritus hic quanquam mobilis ſit, animatus tamen non eſt. Cum enim corporis pars non ſit integralis, qui poteſt anima informari? Eſt tamen animæ inſtrumentum, quo cor calorem ſuum aliis membris communicat, gigniturque ex ſanguine in cordis ſinu lævo. Cum ergo aliæ partes ad functiones peragendas ſuffi-

ſufficientem calorem non habeant; fit, ut eum emendicent à corde; medio tamen ſpiritu & ſanguine arterioſo. Ergò cor permanentem calorem habet, ceteræ partes nonnullum quidem permanentem, ſed debilem, at influentem à corde alium multo intenſiorem. Atque hæc de ſpiritu vitali.

Naturalis nullum uſum video; nullum locum in quo generari poſſit; præſertim cum in hepate nullus ſinus appareat. niſi forſan ſpiritum voces quemvis vaporem, ex ſanguine actione caloris ſuſcitatum. Nec enim inſitus partium calor fovetur hoc ſpiritu, ſed vitali. nec defert facultatem, quod Medici dicunt de animali: facultas enim naturalis ſingulis partibus eſt inſita, ut non ſit neceſſe hepar aliquid præter ſanguinem eo tranſmittere. Spiritus animalis, inſtrumentum ſenſus & motus functionum animalium, in cerebro gignitur, ex vitali in con-

textum

Digitized by Google

textum retiformem delato: in cerebro autem eſt inſtrumentum ſenſuum internorum. Extra vero in membra effuſus inſervit earum & motioni, &, ut ita dicam, ſenſationi. communicatur membris per nervos, quorum ſubſtantiam tenuitate ſuâ penetrat, & quaſi irradiat. Sicut ergo cor per arterias diffundit calorem; ita cerebrum, irradiando nervos, diffundit ſpiritum animalem: vehiculum ſenſus & motus, ſi Medicorum filiis creditur.

Cap. V.

De Partibus.

QUamvis Hippocr. 6. Epidem. contex. 7. corpus humanum dividat in contenta, continentia, & impetum facientia; alii tamen partis nomen magis in anguſtum cogunt: cum ſola continentia membra partes habeantur. Contenta, id

eſt

eſt humores, & impetum facientia, hoc eſt ſpiritus animalis & vitalis, cum ſint inanimata & certâ figurâ deſtituta, in ſenſu partium numerari non debent. Nam quanquam nec ſanitas ſine humore conſiſtere poſſit; non tamen ſequitur, aut ſanguinem, aut alium quemvis humorem neceſſarium, partem propriè dici poſſe. Eſt autem corpus, toti cohærens, communi vita præditum, certaque figura ad functiones obeundas ornatum. Quæ definitio non tantum ſpiritus & humores excludit, verum etiam calculos, verrucas, callos, ungues, pilos, & id genus alia. Nec enim iſta animata ſunt, nec nutriuntur, niſi improprie; ut pilus & unguis per appoſitionem alimenti.

Tria iſta diſtinguenda veniunt, pars, inſtrumentum, membrum. Pars in ordine ad totum conſideratur, complectiturque partes tam homogeneas, quam heterogeneas: hæ enim totum componunt, &

com-

communi vita ſunt prædita. Inſtrumentum ad functionem refertur ſeu actionem; non tamen omnem, ſed perfectam, eamque maximè animalem. Nam naturalis actio ſingulis partibus ineſt. niſi primam & ſecundam concoctionem excipias. quæ à determinatis inſtrumentis, ventriculo inquam & hepate, fiunt. Operationẽ iſtam perfectam edunt omnes partes heterogeneæ; ut oculus viſionem, manus præhenſionem, aut aliam actionem toti communem. Et ex homogeneis quædam; ut arteria pulſum, vena ſanguinis diſtributionem. Atque hoc modo oculi tunicæ & humores, quod hujuſmodi actionem non habeant, partes dicuntur, non inſtrumenta. Quod non eſt ita accipiendum, quaſi nullam actionem habeant; nam nutriuntur, augentur: ſed quia talem non habent. Nec errant, qui putant, partem ſimilarem, ſeu homogeneam, eſſe poſſe inſtrumentalem,

lem, ſicut in arteria videre eſt. Similari parti, proprie opponitur diſſimilaris, ſicut inſtrumentali non inſtrumentalis. Quanquam κατ' ἐξοχὴν heterogeneæ inſtrumentariæ vocentur, ob figuram, magnitudinem, ſitum, numerum; quæ hîc magis elucent, quam in homogeneis. Membrum quoque maximè operationem reſpicit, diciturque propriè de parte heterogeneâ; hæc enim pars eſt operandi inſtrumentum maximè notum.

Similaris pars eſt, cujus partes inter ſe totique ſimiles ſunt; id eſt, in quâ idem eſt temperamentum partis & totius. Hallucinantur qui putant, partis ſimilaris & totius, idem eſſe nomen. Verum quidem hoc in parte ſimilari inanimata, lapide, aut aqua: at in animata ſecus. Pars enim venæ ſecundum longitudinem ſectæ non dicitur vena; nec tendinis, tendo: & quanquam pars oſſis dicatur os communiter, non

dicitur vertebra, aut radius: pars enim omnis certam habet figuram, quæ in diviſione amittitur. Eſt autem mixtum homogeneum à facultate plaſtica ex ſemine, vel ſanguine genitum, certæ actionis gratia. Dicitur homogeneum ad excludendas partes diſſimilares, ſeu heterogeneas; in quibus non eadem temperies, quæ primariò convenit huic partium generi, ſecundariò vero diſſimilaribus. Hoc illud eſt, quod dicitur, actiones primò à partibus ſimilaribus fieri propter earum temperamenta. Actiones fiunt à facultatibus conſiſtentibus in temperamentis; hæc autem primò inſunt partibus ſimplicibus, ſeu ſimilaribus; quod ex earum læſionibus apparet. Sola enim refrigeratio reddit pedem immobilem, inviolata magnitudine, ſitu &c.

Diſſimilaris ex diverſis ſimilaribus eſt compoſita, eſtque in partes diverſæ rationis, diviſibilis. Et quia actio-

actionem perfectam edere poteſt, Organica dicitur. Eſt autem, pars ex ſimilaribus compoſita debito numero, in convenientem figuram & magnitudinem coëuntibus, cum idoneo ſitu, à vi plaſtica ad perfectã actionem genita. In hoc partis genere, maxime attenditur compoſitio, ſicut in ſimilari temperamentum.

Compoſitio quatuor exigit, 1. debitum numerum, 2. juſtam magnitudinem. 3. conformationem aptam in cavitate, meatu, forma, ſuperficie, figura, interdum etiam & colore. Ut enim oculus videat, debet carere omni alieno colore; quo ſi imbuatur, ut in ictero, ejus conformatio eſt vitiata, proinde ad videndum ineptus. 4. Poſtremo ſitum vel cum aliis partibus conſenſum.

Et quanquam actio à diſſimilari parte perficiatur, à ſimilari tamen oritur. Particulæ enim organi conſpirant in actionem ejus partis, quæ

 eſt

eſt facultatis radix. ut in humore cryſtallino videre eſt. Illic eſt viſio, reliquæ oculi partes concurrunt in ſubſidium.

Partes ſimilares creduntur eſſe decem; nimirum, os, cartilago, ligamentum, membrana, nervus, arteria, vena, tendo, caro, cutis. Arteria & vena interdum dicuntur ſimilares partes, interdum non; prout nimirum aliter & aliter accipitur pars ſimilaris. Nam ſi ſenſum ſpectes; videtur vena prorſus homogenea, cum tamen fibras habeat. Ita membrana quanquam ſenſui appareat ſimplex, habet tamen nervos. Si partium officia, aut functiones conſiderentur; dividi poſſunt in principales, & minus principales. Illæ ſunt facultatum ſedes, individui conſervationi dicatæ. Cerebrum eſt ſedes facultatis animalis, Cor vitalis, Hepar naturalis: nam quia ſanguis generatur hîc, fit ut hæc facultas hîc potiſſimum vigeat, alioqui

qui per totum corpus eſt diffuſa. Principalibus quidam addunt, teſtes; nec immerito, ſi officium & functionem conſideres; deſtinati enim ſunt ſpeciei conſervationi, & æternitati. Reliquæ humani corporis partes ſuperioribus miniſtrantes, partes minus principales dicuntur. Obſervandum tamen, venas, nervos, arterias, propriè admodum miniſtrantes vocari; tum quia à principalibus oriuntur, tum quia ab iis ad reliquas aliquid deferunt, ut vena ab hepate ſanguinem; nervus à cerebro motum, & ſenſum; arteria à corde, calorem. Sunt aliæ partes minus principales toti communes, nec miniſtrantes principi parti. Sicut caro ſimplex, cutis, membrana, ligamentum, os, cartilago. Ventriculus, inteſtina, lien, verſica, renes, quia principis partis actionem quoquo modo juvant, præparando nimirum materiam, aut ſecernendo excrementa; optimo

jure inter partes miniſtrantes numerari merentur. Anatomici quoque totum corpus in tres ventres dividunt, pro varietate facultatum, corpus humanum gubernantium; nimirum; Caput, Thoracem, ventrem ſpecialiter ſic dictum.

CAP. VI.

De Humoribus.

HUmorem appello, non qualitatem primam, ſiccitati adverſantem, quæ ὑγρότης dicitur; ſed corpus miſtum. Non tamen omne, ſed certum & definitum, ut poſtea conſtabit: nam chylus, fæces, lac, ſemen, ſudor, urina, inter humores non numerantur. Propriè humor competit ſuccis alimentariis, eorumque excrementis, bili, ſucco melancholico &c. Succus alimentarius eſt ſanguinis maſſa. De quâ vehementer dubitatur, ſitne ſim-

plex

plex humor, an contineat in ſe quatuor illa vulgata corpora; ſanguinem ſpecialiter ſic dictum, bilem, pituitam, & ſuccum melancholicum, ut plerique Medicorum ſtatuunt: nam de ſero non laboro, quia nutritioni ineptum eſt, omniũ confeſſione. Ac primum quidem ſi in ſanguine eſt bilis, ſuccus flavus, & amarus; cur non amandatur ad ſuam veſiculam? (loquor hic de homine ſano, in cujus venis nunquam conſpicitur.) Excrementum enim omne debet ſeparari ab eo, cujus eſt excrementum; quemadmodum videmus fæces & alia ſeparari ab iis, quæ utilia ſunt corpori alendo. Aut quare hepar bilem flavam primò à ſanguine ſeparet, ſi eandem voluit cùm ſanguine per totum corpus diſtribui? Fruſtra enim ſeparatur, quod mox eſt confundendum. Sanguis præterea eſt dulciſſimi ſaporis; quod non fieret, ſi permiſtam haberet bilem. Ea

enim eſt rerum amararum conditio, ut in parva quantitate magis ſe explicent, quam alia ſapida in majore. Cantharus ſiquidem vini Hiſpanici (quod dulce eſt) dimidiatâ unciâ fellis cujuſcunque amareſcit. Quod de bile dico, idem de ſucco melancholico ſentiendum. De pituitâ non laboro: omnium enim confeſſione ea eſt ſanguis inchoatus, ac crudus. Dicamus ergo, in ſanguinis maſsâ non contineri hujuſmodi humores tam diſcrepantes; quanquam non ſit negandum, in eâ contineri partium diverſitatem; ita ut aliæ aliis ſint calidiores, frigidiores, &c. quas quidem per me licet voces bilem, pituitam &c. At verò ſi quis ægreſcat, tum in venis mutabitur ſanguis, pro naturâ intemperiei; ut in hydropicis, ictericis, febricitantibus videre eſt. Serum pars ſanguinis non eſt, ſed vehiculum, quo ſanguis ſubit per corpus venas. Proinde, officio peracto, expellitur per poros,

ros, veſicam, aut alia ratione. ſudoris enim, lacrymarum, & urinæ eadem eſt natura, eadem materia. Sanguis eſt alimentum ultimum partium ſolidarum (nam bilis & hujuſmodi excrementa non nutriunt) Quod non eſt ita accipiendum, quaſi in partis ſubſtantiam ſemper immediatè faceſſat. (quanquam interdum hoc fiat, ut cum ſanguis mutatur in carnem.) videmus enim, ex ſanguine fieri medullam, ex ſanguine priuſquam tranſeat in naturam membranæ fieri aliquid membranæ ſimile; ſed quod ſanguis non fiat bilis, aut aliquid tale, priuſquam aſſumat naturam partis. Iiſdem ſiquidem nutrimur, quibus conſtamus. Conſtamus verò ſanguine puro, & ſemine; ſemen autem ex ſanguine eſt. Ac quanquam ſit magna partium varietas, omnes tamen aluntur ſanguine; habente tamen aliquam partium varietatem, quemadmodum diximus.

De humoribus ſecundariis (quorum author creditur Avicenna, cum tamen Galen. 7. Meth. 6. eas innuat) aliquid agendum. Ii perperam quatuor ſtatuuntur, cum duo poſteriores ſint de ſubſtantia partium. Primus eſt in extremitatibus exilium venarum, eſtque ipſiſſimus ſanguis; humor tamen eſt innominatus. Secundus eſt ros; humor mediæ cujuſdam naturæ inter ſanguinem & partem. Tertius eſt carnoſa & adipoſa humiditas, fibris circumfuſa, communi vitâ prædita. Quartus membranoſa, partes ſpermaticas continens, itidem ut prior, animata; ac proinde perperam inter humores collocata. Tertium illum humorem Arabis Medici interpretes vocarunt cambium, ſicut quartum & poſtremum gluten.

Atque hæc de humore alimentario, ſequitur excrementitius. Cujus eſt aliqua varietas. Nam bilis naturalis, alvum irritat, & inteſtina ſua acri-

Digitized by Google

acrimonia terget; melancholia vero, ſi multis credimus, appetitum excitat. Generantur humores excrementitii iiſdem locis in quibus ſanguis, nimirum in hepate, ab eâdem facultate, eodemque calore quo ſanguis purus; (loquor de naturali bile, & Melancholia;) niſi quod in chylo ſupponatur partium diverſitas. Nam ex parte maxime igneâ, generatur bilis; & ex terreâ, melancholia; ex temperatâ ſanguis; nec unquam chylus tam eſt ſincerus, quin habeat diverſam diſpoſitionem partium unde generantur iſta excrementa. Quæ cum nutritioni inepta ſint; à maſſa ſanguinea ſeparata, ad convenientia loca amandantur. bilis flava ad veſicam ſuam, ſicut melancholia ad lienem. Si contingat viſcerum temperiem eſſe vitiatam, hoc eſt juſto calidiorem aut frigidiorem; aut contingat chylum eſſe corruptum ex cibis vitiatis, porris, alliis, cæpis: tum gene-

ſabuntur humores, excrementitii quidem illi, præternaturales tamen.

Bilis non naturalis eſt quadruplex. Prima eſt vitellina; quàm falsò putat Avicenna generari ex miſtione bilis & pituitæ, vocatque bilem majoris famæ; oritur à vehemente calore, deurente bilem naturalem, & diſſipante partes tenues, donec faceſſat in conſiſtentiam & colorem vitellorum crudorum. Secunda eſt bilis porracea. Tertia, æruginea. Poſtrema, glaſtea, iſatidis colorem referens. Hæ tres ſpecies ex parte vireſcunt, nec generantur in venis, ſed in ventriculo, vitio alimenti parum temperati. De bile Zinaria Avicennæ nihil dico. adeo enim, quæ de eâ traduntur, ſunt improbabilia, ut aſſertorem aliquem vix ſint inventura.

Melancholia naturalis eſt ſuccus ater (non verò atra bilis) in hepate cum ſanguine genitus, ex terreſtri

chyli

chyli portione. Nam terreſtris chyli portio, quatenus ab hepate magis coqui nequit, eatenus excrementum vocari poteſt, quemadmodum & pituita. Verum quia à ſplene magis elaborari poteſt, & in ſanguinem bonum permutari; non eſt eo modo excrementum dicendum quo bilis; quæ à veſica non tam trahitur, quam ab hepate iſthuc expellitur. Nam Lien hunc ſuccum ad ſe trahit, ut magis coquat & alteret, eoque fruatur; non autem ut expellat, quemadmodum veſica bilem, aut renes ſerum. Nec prorſus aberravit Ariſtoteles, qui Lienem ſiniſtrum hepar vocavit. Et ſane venæ à Liene ortæ demonſtrant, ſanguinem iſtum eſſe alimentarium. Quod verò ſuperflua ejus portio, ad famem excitandam, & alimentum complectendum, in ventriculum regurgitet, credere non poſſum: præſertim cum os ventriculi, acutiſſimi ſenſus, non egeat hujuſmodi ſtimulo.

lo.

lo. Sane mirum eſt, hepatis,& lienis excrementa remitti in ventriculum, ut inde aliò tranſmittantur. nec ſanus quiſpiam ſentit perpetuò acidos ructus, quod fieret, ſi hunc uſum præſtaret melancholia. Illa quæ eſt præter naturam eſt noxia & inutilis, generaturque ex aduſtione, aut putrefactione aliorum excrementorum. Bilis enim vitellina aduſta, in porraceam; poſtea æruginoſam, & glaſteam; poſtremo in atram vertitur. Hæc acerrima eſt & maligna; tantoque malignior, quanto humor ex quo genita eſt deterior exiſtit: ſaporem habet ſimilem aceto acerrimo, &, in terram effuſa, eam fermentat. Levior eſt illa ſpecies, quæ ex melancholiâ naturali aduſtâ generatur. A ſanguinis aduſtione eam generari quoque volunt: verum cum ſanguinis tenuior pars faceſſat in bilem, craſſior verò in melancholiam, non videtur hæc ſpecies à ſuperioribus differre.

An-

An ex pituitâ fieri poſſit, dubitatur: nam ejus temperamentum adeò diſtat, ut nullo modo poſſit eouſque aduri; quanquam quidam excipiant pituitam ſalſam, ex quâ generari contendunt.

Reſtat pituita excrementitia, (nam alimentaria eſt crudior ſanguinis portio, nutritioni partium frigidarum, cerebri, &c. à naturâ deſtinata) quæ multiplex eſt. Quod ſcreatu rejicitur, & quod in os ex cerebro decidit, pituita vocatur. Sed hiſce omiſſis, triplex genus pituitæ excrementitiæ vulgò creditur. Quarum prima eſt acida; ſuccus admodum crudus, nullamque alterationem paſſus, præter eam quam in ventriculo tulit. Secunda eſt pituita vitrea Praxagoræ; quam ita vocavit ob ſimilitudinem quam habet cum fuſo vitro. Humor craſſus, viſcidus, frigidus, adhærenſque inteſtinis; cruciatus immanes excitans. Poſtrema eſt pituita ſalſa, non

frigida,

frigida, ut ſuperiores, ſed calida ob admiſtionem ſeri ſalſi; non autem bilis amaræ, ut credidit Avicenna.

CAP. VII.

De facultatibus in genere, & in ſpecie de naturali.

DE animæ eſſentia diſputare, Medico nihil conducit: quæ enim qualiſque ſit, à Philoſopho accipiendum. Quia verò Ariſtoteles omnium Philoſophorum induſtriã in eâ explicandâ ſuperavit, curioſus lector ejus libros de hac re conſulat: nec enim quæſtiones Logicas (ita Galenus vocat eas, quæ nihil ad artem faciunt) perſequi patitur inſtituti brevitas. Conſtat, animam omnem eſſe formam corporis, ejuſq; actum informantem, & cum eo conſtituentem animatum; conſtat etiam, animam, omnium operationum eſſe cauſam efficientem. Actiones

nes fiunt à facultatibus, inhærentibus membris debito modo diſpoſitis. Facultas eſt medium inter actionem & animam. Hæc enim hac, aut illâ facultate utitur, pro uſus neceſſitate. Conſtat & hoc etiam, animam eſſe triplicem, vegetativam, ſenſitivam & rationalem: cui reſpondet triplex facultas. Naturalis & vitalis ſequuntur vegetativam in animalibus; ſicut Animalis, ſenſitivam & Rationalem. Quanquam propriè loquendo Rationalis facultas non eſt conſiderationis Medicæ, quia nullam corporis partem informat: quia tamen ab organo antecedenter dependet, cujus debitam conformationem & temperiem ſupponit; fit, ut ejus actio læſa à Medico conſideretur. An verò tres ſint in homine animæ reapſe diſtinctæ; an ſola rationalis, virtualiter quaſi duas ſuperiores continens; nihil attinet inquirere.

Ad facultates tranſeamus; quas Philo-

Philoſophi aiunt eſſe qualitates, ſeu potentias naturales, ad operationem per ſe primò ordinatas. Naturalis ceterarum eſt baſis quaſi, & fulcrum; latiſſimeque patet; ſiquidem ſtirpibus & animalibus brutis ineſt. Ariſtoteli δυύαμις φυλική vocatur, à Galeno φυσική. Tota inſervit individui conſervationi, & ſpeciei propagationi: ejus enim functio eſt, accretio, nutritio, generatio. Hæc diffuſa eſt per corpus univerſum; & quanquam dicatur reſidere in hepate; id tamen non eſt ita accipiendum, quaſi in aliis membris non ſit. Sed id dicitur, quia in hepate generat ſanguinem, totius corporis commune alimentum, quemadmodum antea definivimus. Ejus ergò ſubjectum & inſtrumentum, non eſt hæc aut illa pars, ſicut oculus viſus, aut Lingua guſtatus; ſed quodlibet membrum corporis. quælibet enim pars, & nutritur, & augeſcit. Ineſt autem membro, ſeu inſtru-

inſtrumento calor, cujus vi & efficacia functiones ſuas peragit facultas. Obſervandum hîc, facultati huic, in quolibet membro, ſubſervire quatuor alias; nimirum attractricem, retentricē, concoctricem, expultricem; ad quas revocantur diſtribuens, ſecernens & appetens. Si enim facultas quod convenit trahit; non opus eſt diſtincta aliqua facultate appetente. Sin alimentum conveniens retinet, ejusq́ue excrementum expellit; non eſt opus ſecretrice aliqua aut diſtributrice. Quodlibet ergò membrum conveniens alimentum attrahit: attractum retinet; retentumque coquit. Quod autem coqui non poteſt, tanquam excrementum expellitur. Quæ dixi, intelligenda veniunt de privatis facultatum harum actionibus in ſingulis membris. Alioqui partes quas vocant communes, ventriculus nimirum, hepar, iiſque miniſtrantes renes, veſica &c. functiones

ctiones hujuſmodi duplices habent. Ventriculus enim non tantum reſpectu privatæ nutritionis trahit, retinet, coquit & expellit: ſed etiam, quatenus communis corporis officina, alimenta, toti corpori convenientia, eodem modo ſervat. Idem de hepate judicandum. Diximus non ſemel, facultatem omnem habere organum functioni ſuæ accommodatum. Idem & hic apparet in partium villis, ſeu fibris, quarum aliæ ſunt rectæ, aliæ transverſæ, quædam obliquæ, impares nimirum facientes angulos: harum enim primæ, tractioni, ſecundæ excretioni, tertiæ retentioni dicatæ ſunt. Quod ad concoctionem attinet; ea perficitur à facultate membro inhærente, mediante calore.

Digitized by Google

CAP. VIII.

De Nutritione, & Accretione.

FAcultatum cognitio haberi non poteſt, ignoratis objecto & actione: definiuntur ſiquidem cum relatione ad talia. Proinde ut facultas naturalis melius intelligatur, de ejuſdem actionibus quædam dicemus. Has diximus eſſe nutritionem, accretionem, generationem; de quibus ordine agemus. Et primum quidem de nutritione, cujus eſt magna neceſſitas. Corpus humanum perpetuò diſſolvitur à cauſis tum internis, tum externis: cujus reparatio fit nutritione. Eſt autem nutritio *converſio alimenti in ſubſtantiam animatam, facta à facultate nutriente in unoquoq; membro.* Quæ definitio omnes cauſas requiſitas complectitur. Cauſa converſionis, ſeu nutritionis efficiens, eſt facul-

tas

Digitized by Google

tas membro inſita, mediante calore (frigus ad animati actiones per ſe non concurrit, ſed per accidens, temperando nimirum calorem) partim membro inſito, partim à corde derivato. Objectum, eſt alimentum convertendum. In hoc facultas agit, variè coquendo, & temperando. Finis eſt ut conſervetur individuum: quod fieri non poteſt, niſi alimentum in membri ſubſtantiam convertatur. Alimentum, quanquam ſit varium, & multiplex; ſemper tamen debet aut animatum fuiſſe, ſicut carnes: aut ab animato proceſſiſſe, ſicut ova, lac, vinum. Res enim aliter affectæ, propter contrarietatem temperamenti, & repugnantiam, in ſubſtantiam humanam converti nequeunt; ſicut in metallis & lapidibus videre eſt. Unde alimentum, nec prorſus ſimile, nec prorſus diſſimile eſſe debet. In principio enim diſſimile, in fine ſimile. Similitudo non mo-

do

do conſideranda eſt, in qualitatibus primis, calore, frigore, &c. ſed etiam in ſecundis, duritie, mollitie, tenuitate, craſſitie: & maxime in modo ſubſtantiæ: quo ſenſu dixit Galenus, panem nutrire. Quæ ut fiant, triplex concoctio eſt inſtituta à natura, ſeu potius, naturæ authore, Deo. Quarum prima eſt propter ſecundam, ſicut ſecunda propter tertiam: prima, & ſecunda, ſunt toti corpori communes, tertia ſingularum partium propria.

Prima fit in ventriculo, χύλωσις dicta; quâ ventriculus inſitis viribus, & vicinarum partium calore, cibum, & potum convertit in chylum, ſuccum ptiſanæ cremori ſimilem. Omnis pars conatur alimentum ſibi aſſimilare, non tantum in modo ſubſtantiæ, ſed etiam colore: atque ob eam cauſſam vina rubra, & helvola aſſumpta, ſtatim, ventriculi alteratione, albeſcunt. Orificium ſuperius, eſt acutiſſimi ſenſus, (quod

(quod ejus dolores indicant) eaque cauſſa eſt ſedes famis. Eſt autem fames, dolor ejus partis, inſtitutus ad cibi appetitionem. Animalia enim quanquam edant ad dolorem ſedandum, tamen eâdem operâ & naturæ deficienti ſuccurrunt. Nam præparatur alimentum in hac communi officinâ. Dolor autem ceſſat, aſſumpto liberaliter cibo. Errant, meo quidem judicio, qui putant, famem ex partium continentium, inanimatarum tamen, ſuctione & tractione fieri. Quis enim credat, tam brevi ſpatio atque eſuriunt homines, bene alioqui valentes, conſumi poſſe alimentum in partes jam converſum? Aut quis credat, tam citò exhauriri ſubſtantiam in pueris, quam cibum appetunt? Et ſanè videmus, aſſumpto cibo famem ceſſare; quod non fieret, ſi tractionis initium procederet à partibus; quæ nihilominus exſtauſtæ manent, quamdiu in ventriculo cibus coquitur.

tur. Nec tamen chylus nutrit ventriculum: eodem enim alimento nutritur, quo reliquæ membranæ; quod ex ejus venis conſtare poteſt. Iam cum excrementum ſit alimenti pars inutilis; ibidem generabitur, ubi alimentum præparatur. Verum quamdiu eſt confuſum cum alimento, excrementum non vocatur; ſed tum demum, cum facta fuerit ſecretio. Neceſſariò ſequitur, fæces eſſe hujus concoctionis excrementa; quanquam non tingantur prius, quam in inteſtinis bile perfundantur. Quid? quod quidam volunt, etiam urinam eſſe hujus partis excrementum; Quia ſingulæ concoctiones duplex excrementum habent, tenue ſcilicet, & craſſum.

Peractâ coctione primâ, ventriculus per pylorum chylum ad inteſtina trudit. Quo in diſcenſu fit ſeparatio & ſegregatio alimenti ab excremento. Venæ enim meſaraicæ quicquid utile eſt & aptum ſan-

guini gignendo, in tranſitu rapiunt: inutile autem omne ad anum amandatur; ad quem eſt continuus ductus ab œſophago; hic enim, ventriculus, & inteſtina, inter ſe continuantur.

Secunda concoctio in hepate fit. Venæ meſaraicæ alimentum utile in deſcenſu intercipiunt, feruntque ad hepar, quod inſitâ facultate, mediante calore, chylum in ſanguinem convertit. hæc actio, ſeu converſio, eſt ſecunda concoctio. Diximus jam antea, partem omnem imprimere alimento patienti ſui ſimilitudinem. quemadmodum ergo ventriculus chylum fecit album, ita hepar rubrum: ſanguis autem primò venæ cavæ radices ſubit, deinde truncum, tandemque per ramos ejuſdem, & venas, diſtribuitur in in univerſum corpus. Porrò ubi generatur alimentum, neceſſariò ibidem & excrementum debebit: nullum enim eſt tam purum, quin partes

tes habeat ſuperfluas. Ergo partes magis igneæ, ab eodem calore & facultate quibus generatur laudabilis ſanguis, faceſſunt in bilem. Quæ in propriam veſicam tranſmiſſa, inde ad duodenum inteſtinum amandatur; ubi fæces tingit, & vim expultricem inteſtinorum, alioqui ſegnem, irritat ad earum excretionem. Sanguinis partes graviores, & magis terreſtres, Lien ex jecore per ramum venæ portæ ad ſe trahit, ut eo nutriatur. Iam vero ſerum ſeu urina, quanquam in ventriculo generatur, non prius vocatur excrementum, quam facta ſecretio fuerit à ſanguine, partim in renibus, partim in corporis habitu. Colligitur paulatim in veſica, quam copia, aut acrimonia vellicans, irritat ad ſui expulſionem.

Atque hæc de prima, & ſecunda coctione. quæ ſunt veluti gradus ad tertiam, quam & nutritionem, & aſſimilationem vocant. Fit autem,

Digitized by Google

cum partes ſingulæ ſanguinem, in rorem prius converſum, in ſuam naturam tranſmutant. Tum ſanguis, non eſt amplius ſanguis, ſed caro, tendo, membrana, &c. corpus videlicet animatum. Concoctio hæc, ſua habet excrementa. Nam & ſordes cuti adhærentes, & quod inſenſibiliter evacuatur, huc pertinent; quanquam cerebrum, viſcus frigidum, præter hæc & mucum habet. Ex quibus conſtat, ſanguinem eſſe alimentum ultimum; quod tamen non ſufficeret, niſi actuaretur à ſanguine arterioſo, qui, comparatione ſanguinis venenoſi, eſt quaſi forma & actus.

Hic obiter nota, vitia prioris concoctionis à poſteriore, aut non corrigi, aut difficulter.

Nutritio, de quâ egimus, tamdiu durat, quamdiu vita, ſupponiturque accretioni, de quâ paucis agemus. Conſtat, animal omne habere certam magnitudinem, fun-

ctioni-

ctionibus idoneam & aptam. Hanc in principio ortus habere nequit; reſtat ergo, ut ſequentibus annis conſequatur. Eâ causâ, oſſa primo & ſubſequentibus annis, ſunt admodum mollia; hac enim ratione facillime extenduntur: durum enim frangi poteſt, flecti nequit. Accretio primariò eſt partium ſimilarium, ſecundariò vero diſſimilarium. Proinde in eâ omnes partes fiunt majores, ſecundum omnem dimenſionem. quod non fit in incremento acervi lapidum: nam quanquam acervus fiat major, ſinguli lapides non fiunt majores. Neque hoc tantum, verum alimentum debet etiam intus ſumi. Nam quando convertitur aqua in aërem, non dicitur creſcere, ſicut neque quando res aliqua rareſcit: acquiſita quidem eſt nova quantitas, ſed ſine aſſumptione corporis; quod in accretione exigitur. Poſtremò, in accretione, debet manere idem nu-

Digitized by Google

mero animatum. Ergo in infantiâ facultas naturalis, admodum valida, plus reponit quam conſumpſit. Ex eo autem quod eſt plus, fit accretio. Nam alimentum in minutis oſculis partium receptum, & conversum, extenditur, eo prorſus modo, quo ſpongia, à manu conſtricta, poſtea autem liberata, ſeſe extendit. At quia oſſa ſicca facta extendi nequeunt, (quod ætatis anno 25. aut 30. fit) incrementum ceſſat; tumque homines pingueſcere incipiunt. Calor autem poſtea & humor perpetuò debilitantur, donec morte naturali intereat animatum. Nam quamdiu anima corpori communicatur, tamdiu vita ſupereſt: communicatur autem, ſi idoneum ſit corpus & ritè præparatum; quod ſi deſit, morietur animatum. Qua de cauſſa Philoſophus dixit, mortem eſſe caloris extinctionem: quæ fit à contrario & hoſtili frigore; aut calore externo, & febrili, internum

popu-

Digitized by Google

populante & vaſtante: interdum ſolutione continui, quâ ſanguis omnis effluit; nam tum quoque evaporat calor. Quanquam non hoc ſolum modo pereunt homines, ſed interdum marcore, quo humor omnis eſt conſumptus: quo conſumpto, neceſſe eſt & calorem una extingui. Contingit interdum, alimentum revera conſumi, ſicut, deficiente oleo, perit ignis & flamma. Interdum tamen calor adeò eſt debilis, ut appoſitum alimentum amplius mutare nequeat. Mors duplex ſtatuitur; quarum altera eſt naturalis, ex defectu caloris, ob humidi exſiccationem jam marcidi; ad quam ſenectus eſt gradus. Altera violenta & præter naturam; cum calori adhuc vegeto, ſubtrahitur alimentum; aut cum, reſpiratione prohibita, quaſi ſuffocatur; aut alia ratione diſſipatur.

CAP. IX.

De Hominis generatione.

HÆc etiam functio eſt naturalis facultatis, & quidem nobiliſſima; dicata propagationi individui, & ſpeciei æternitati. Elementis conſtantia corpora, æterna eſſe nequeunt; & tamen æternitatem appetunt. quod ergò in individuo (ita loquuntur) conſequi nequeunt, in ſpecie tamen obtinent: & quanquam Socrates, Plinius, Annibal, ſint mortales; humana tamen ſpecies, æterna eſt; & quidem hujus facultatis beneficio. Facultas nutrix, & auctrix; (quæ ab eâ non diſtinguitur) diffuſæ per totum corpus ſunt; non item generatrix, quæ determinatam in corpore partem, & ſedem vendicat, nimirum teſtes. In his itaque eſt facultas procreatrix, quâ animal ex ſemine, aliud ſibi ſimile

ſimile procreat. Non ago hoc loco de generatione animalium imperfectorum ex putredine; aut quæ generantur ex congreſſu diverſæ ſpeciei animalium, ut equi & aſinæ: ſed de perfectâ tantum, quam univocam vocant; nec tamen omni, ſed hominis tantum.

Procreatio ſpecialiter dicta, eſt unio animæ cum corpore: alioqui ſolet accipi pro omnibus conjunctis actionibus, congreſſu, conceptu, formatione, partu. Elementa generant ſemper ex materiâ & objecto externis: quod enim hic generatur, nunquam fuit pars generantis, aut illi unitum. Verum perfectorum animalium, & inprimis hominis generatio eſt magis operoſa, ſemperque fit ex parte generanti quondam intima; nimirum ſemine & menſtruo ſanguine. Quorum illud eſt maris, ſicut hic fœminæ. Sanguis ſolus, aut ſemen non ſufficiunt; ſed utrunque conjun-

gendum. Mas habet rationem efficientis, ſicut fæmina ſubjecti, & materiæ. Utrique inſunt vaſa muneri huic ſufficientiſſima; (ſicut ex anatomia conſtat) ſed tamen figura, ſitu, & temperie diſtinctiſſima. Uterus ſemen & ſanguinem recipit; teſtes viriles illud auxilio colis effundunt in eum.

Quanquam mulieres habeant ſemen; non eſt tamen efficax, nec concurrit ad generationem activè, ſed merè paſſivè: nec ex omnibus partibus fluit, ſed tantùm teſtibus, quibus ineſt vis producendi animal perfectum. Quod enim dicitur, à partibus principalibus fluere, parum eſt: nam ultimum capitis alimentum, aut hepatis, non repræſentat has partes, nec vim habet ea producendi; cum ſit tantum materia patiens, & jam convertenda in earum partium naturam. Ergo ſicut mammæ habent vim generandi lac, ſeû convertendi ſanguinem in lac: ita

ita teſtes ſanguinem, ex venâ cavâ prolectum, convertunt in corpus album, ſpumoſum, calidum & humidum, facultate plaſticâ præditum; quo primùm ipſi nutriuntur, cujuſque reliquiæ generationi deſtinatæ ſunt. Menſtruus ſanguis eſt ille qui ſingulis menſibus (niſi ætas aut morbus impediant) redundans, tanquam naturam gravans expellitur. Non eſt venenatus, ut quidam tradidere; niſi forſan putreſcat, ut in hyſtericis. Hic inquam ſanguis eſt generationis materia, ex eâ enim fiunt partes ſanguineæ, tum eſt alimentum fœtus.

Vis geneatrix eſt plaſtica illa & divina facultas ſemini virili tantum inſita, cujus vi partes primum delineantur, tum anima corpori præparato unitur. Servit illi calor blandus, non igneus corrumpens, ſed potius cœleſtis, reſpondens virtuti cœleſti, ut tradidit Philoſophus. Conſiſtit vero in tenuiore ſeminis

Digitized by Google

portione, & maximè ſpirituoſa, quam ſi ſemen muliebre haberet, poſſet ſola generare; quod tamen eſt inauditum: cum ne ſola molam generare poſſit, ut conſtans eſt omnium Medicorum ſententia. Nec poſſint eſſe duo activa generationis principia, quorum ſingula efficiant aliquid ſeorſum; cum unum vitæ principium ſufficiat: nec ex utriuſque conjunctione tertia quædam vis emergere poteſt. Probabile itaque maximè eſt, ſemen virile, in generatione & fœtus formatione, cauſæ efficientis rationem habere: materiam autem & ſubjectum eſſe muliebre, unà cum ſanguine menſtruo: quæ tria ſemper concurrere debent.

Quando itaque utrunque ſemen ab utero receptum eſt, tum inter ſe confunduntur & permiſcentur; quæ uteri actio eſt germana conceptio. tum vis plaſtica incipit vires exſerere, partes delineando: quod tamen

men non prius ſit, quam craſſiores ſeminis partes ad circumferentiam ſint expulſæ, ut ex iis fiant membranæ, fœtum involventes. Membranæ ſunt tres; (quibuſdam duæ tantum.) ἄμνιος fœtum immediatè involvit; ἀλλαντοειδὴς, zonæ inſtar, à mucronatâ cartilagine ad ilia uſque cingit; tertia vaſa umbilicalia fulcit, eorumque interventu tota utero adhæreſcit, χόριον dicta.

Duplex eſt partium conformatio. quorum prima eſt partium ſpermaticarum, ſecunda vero ſanguinearum. Cum vis inſita, craſſiores ſeminis partes ad circumferentiam, ut dixi, egerit; paulatim incipit partes ſpermaticas adumbrare, oſſa nimirum, nervos venas, &c. tum ampullas tres, bullis in aqua excitatis ſimillimas, rudimenta nimirum partium principalium, cum ſuis filamentis, nervis &c. cernere licet. Quo facto, ſuccedit partium ſanguinearum adumbratio. Sanguis

enim

Digitized by Google

enim non prius fluit per venam umbilicalem huc, quam ſpermaticæ partes ſint factæ. Tum vero ſpatia fibrarum vacua explentur; viſcerumque παρέγχυμα delineatur; ceteræque partes aliæ muſculorum ſuccedunt. Quod dum fit, nulla eſt vita, nullus motus; quia nulla eſt anima. Nec enim eſt anima antequam domicilium ſit paratum; quod ante tertium menſem fieri nequit: quo tempore omnes partes abſolutæ ſunt: tum demum nutriri incipit fœtus ſanguine materno. Fruſtra, meo judicio, diſputatur, quæ pars in homine primò generetur. Nam etiamſi hepar id ſit membrũ, nihil faciet ſine reliquorum adminiculo: itidem nec cor, nec cerebrum. Sed horum omnium requiritur conſenſus, & unio.

Porrò quod dicant nonnulli, fœtum primum informari anima vegetante, tum ſequentibus diebus ſentiente, & ita deinceps; probabilita-

Digitized by Google

litate caret. Membra enim humana non inſerviunt animæ, quæ tantum eſt vegetans, aut ſentiens; ſed rationali, quæ virtualiter ſuperiores duas in ſe continet. Fœtus ergo animatus in utero nutritur, & creſcit quouſque robur acquirat, & ore nutriri poſſit, indigeatque non tantum majore loco, ſed & liberaliore cordis refrigerio. Tum, duce naturâ, calcitrando membranas & involucra rumpit. Conſpirat tamen uterus, ſeſeque pandit: nec hic ſolum, ſed & vicinæ partes.

In partu naturali & legitimo infans caput & humeros primò exerit; quo facto, reliquæ partes non difficulter ſequuntur: ſi enim brachium, pes aut alia pars in lucem primò prodeat, partus non carebit periculo.

Tempora partus humani incerta ſunt. Conſtat tamen, ante ſextum menſem non eſſe fœtum vitalem. Septimo quidem menſe eſt vitalis,

&,

Digitized by Google

&, quodſi robuſtus ſimul ſit, in lucem exibit: ſi non, natura ut plurimum differt in nonum, decimum, aut initium undecimi menſis. Octavo natus infans (extra Ægyptum) non eſt vitalis; nam cum fruſtra ſeptimo menſe conatus fuerit, debilitatur vehementer; ac proinde juſto menſe eget ad virium reparationem. Si ergo octavo prodeat, non poteſt non debilis eſſe; non modò ex irrito ſuperioris menſis conatu, ſed etiam ex partu octavi menſis.

Naturalis partus eſt tantum maris, aut fœminæ, & quidem ejuſdem ſpeciei, nimirum humanæ. Interdum tamen contingit caſu aliquo, aut vitio ſeminis, uteri &c. naſci monſtrum, aut molam; de quibus alias.

Sed ad natorum ſimilitudinem veniamus; quæ triplex à Philoſophis & Medicis ſtatuitur. Speciei nimirum, ſexus, & effigiëi. Voco

ſpeciei

ſpeciei ſimilitudinem, convenientiam duorum in naturâ ſpecificâ, ut Socratis & Platonis in natura humana. Hæc eſt à vi plaſtica non interpellatâ, aut impeditâ. Nam agens univocum reddit effectum in ſpecie ſibi ſimilem. Secunda eſt in ſexu; mas nimirum & fœmina. Cauſſam maris vulgo tradunt robur facultatis plaſticæ, unà cum potente calore foras propellente eas partes, quas fœmina intus reconditas habet. Quod probabile non videtur; cum nulla ſit ſimilitudo partium genitalium in mare & fœmina: nam etiamſi uterus propendeat, non tamen repræſentabit penem humanum. Quid? quod multæ mulieres reperiantur viris calidiores. Probabilius judico, facultatem plaſticam, indifferenter producere marem aut fœminam; verum determinari potius ad maris generationem, quam fœminæ, aut contra, à materiâ ſubjectâ; niſi mavis, primam

mam cauſſam (quod in multis fieri conſuevit) indifferenter, nunc hujus, nunc illius ſexus, fœtum producere, pro ſeminis variâ diſpoſitione. Similitudo effigiei liberorum ad parentes (conſiſtit hæc ſimilitudo in colore, & lineamentis membrorum ſeu figurâ) pendet ex temperamento ſeminis à parentibus profecti. Intelligo hic colorem. nam figura pendet à vi formatrice ſeu plaſticâ; quæ nunc patri, nunc matri fœtum ſimilem fingit; Interdum aliò deflectit, ſi phantaſia concurrat; ſed quomodo hoc fiat, hic non diſputo.

CAP. X.

De Facultate vitali, ejuſque affectionibus.

FAcultas vitalis eſt media quaſi inter naturalem, & animalem: nec tamen peculiare animati genus con-

conſtituit. Conjungitur in animali cum naturali vi, cujus eſt perfectio: nam ſanguis non nutriret, niſi perficeretur, & quaſi actuaretur à calore vitali. Hæc eſt aliarum facultatum baſis & fundamentum, ex cujus incolumitate vita hominis pendet. Hujus ſedes eſt cor, viſcus omnium in homine calidiſſimum, in quo perturbationes, ira, amor, metus, &c. reſident. Ejus ſitum, & ſtructuram, accuratè deſcribere, hoc loco ſupervacaneum duxi. Ejus flabellum eſt pulmo; quo illius calor auxilio frigidi aëris temperatur. In eo duo ſunt ſinus. dexter & ſiniſter; in illo eſt purus ſanguis beneficio venæ cavæ illis implantatæ, cujus oſtiolo tres valvulæ intus ductæ prætenduntur. In eodem ſinu eſt vena arterialis, deferens è corde ad pulmones ſanguinem; cujus membranæ vel valvulæ eoſdem ſpectant extrorſum. In ſiniſtro ſinu eſt ſanguis arterioſus, unà cum ori-

ficio

ficio arteriæ magnæ; cujus valvulæ extrorſum ſpectant. Eſt etiam ibidem arteria venoſa, duabus tantum valvulis introrſum vergentibus inſtructa. Sinus diſcluduntur medio ſepto, magnos habente poros, per quos tranſit ſanguis frigidior ex dextro ſinu in ſiniſtrum, elaborandus in vitalem ſpiritum. Ex quibus facile conſtabit de controverſiâ medicâ, agitatâ non minus inter Galenum & Eraſiſtratum, quam inter illum & Avicennam; an arteriæ deprimantur, & attollantur cum corde: de quâ, Lector, alios conſule.

Facultas iſta reſidet in cordis ſubſtantia ad generationem ſpiritus vitalis inſtituta. Hic conſtat ſanguine vaporoſo in dextro ſinu contento, qui calidior factus & ſpirituoſior, in totum corpus motu contractionis & dilatationis per arterias diſtribuitur. Diſtributionis finis, eſt incrementum caloris vitalis in ſingulis membris fixi. Nam, ut dixi

ante,

ante, nativus &fixus calor non ſuffi-
cit partium actionibus. Cor ergo,
viſcus calidiſſimum, de innato calo-
re ſuo iis nonnihil impertit: ergo
ſpirituum generationi, & diſtribu-
tioni, ſubſervit pulſus effectio. Nam,
quod attinet ad perturbationum
concitationem; quanquam ea ſit in
corde, pendet tamen ab appetitu,
& imaginatione, functionibus ani-
malibus; ſicut ex parte reſpiratio
eſt: nam pulſus motus eſt penitus
naturalis. Ad quem tria concur-
runt, Facultas, Inſtrumentum, &
Uſus, ſeu finis & neceſſitas faculta-
tem impellens. Eſt autem cordis &
arteriarum actio compoſita ex con-
tractione, & dilatatione, interce-
dente quiete mediâ, ad generatio-
nem vitalis ſpiritus à facultate inſita
orta. Componitur ergo ex dilata-
tione & contractione; quæ cum
ſint contrariæ, continuari neque-
unt. Neceſſe eſt ergo quietem me-
diam intercedere. Quies inter dia-
ſtolen

ſtolen & ſyſtolen, ſupera vocatur; quæ autem eſt inter hanc & ſubſequentem diaſtolen, infera. Dum aër ex pulmonibus, per venalem arteriam, in ſiniſtrum ſinum deducitur ad temperandum calorem, impletur cor; impletur quoque, dum ſanguinem ex vena cava in ſinum dextrum attrahit: at in contractione, fuligines expelluntur; ſimul etiam ex ſiniſtro ſinu ſpiritus per univerſum corpus diffunditur; qui prout augeſcit,& deficit, vis pulſifica movetur. idem facit in receſſu nativi caloris à ſuâ temperie. Huc pertinet reſpiratio; quæ aut animalis eſt functio, (perficitur enim ope muſculorum, motus arbitrarii inſtrumentorum) aut media inter eam & naturalem. Hujus uſus eſt temperies caloris, cordi inſiti; ne, ſcilicet, nimium inflammetur, ſed temperetur appulſu frigidi aëris. Sicut pulſus duos contrarios habet motus, ita reſpiratio, inſpirationem

&

& exſpirationem. illa frigidus aër ad temperandum calorem attrahitur: iſta expelluntur à corde fuligines,

CAP. XI.

De facultate Animali.

SEquitur tertia, & poſtrema facultas, animalis, principium motus, ſenſus, & ex parte intellectionis; quatenus ea phantaſiam, ſenſum nimirum internum, ſupponit. Alioqui facultas intelligendi, & intellectio, ejuſdem functio, non inſident organo, aut determinatæ corporis parti: quia tamen imaginationi, quæ in cerebro eſt, conjunguntur, fit ut in cerebro ſubſiſtat. Cerebrum autem principium eſt & officina ſpiritus animalis, quo ſenſus & motus univerſo corpori, mediantibus nervis, communicantur. Huc ſpectat uterque appetitus: ſuperior, qui

qui voluntas; & inferior, ſenſitivus dictus, cordi inhærens; à quo proximè excitantur perturbationes. Sentire, ſicut & intelligere, eſt cognoſcere; cognitio eſt repræſentatio rerum in potentiâ cognoſcente. Nam potentia cognoſcens, ut viſus aut intellectus, fit res ipſa cognita; modo tamen ſpirituali: quemadmodum in ſpeculo videre eſt, in quo repræſentatio fit rei externæ, modo tamen intentionali. Appetitus verſatur circa proſequutionem, aut fugam. cujus objectum eſt tantum bonum: nam malum fugit, non vero appetit. Ut verbo abſolvam, facultas iſta comprehendit, ſenſitivam, intellectivam, appetitivam, & locomotivam: quarum functiones obeuntur miniſterio ſpirituum animalium in cerebro genitorum. Inſtrumentum eſt nervus. iſque duplex. qui à cerebro procedit, ſenſationis cauſa, mollior eſt: qui à ſpinali medulla, (eſt au-

tem

rem ejuſdem cum cerebro ſubſtantiæ) durior quidem, ſed motui aptior. A cerebro, aut ejus baſi, ſeptem paria procedunt. à ſpinali medulla triginta, quæ per muſculos diſtributa, motum efficiunt arbitrarium. Ergo ſpiritus communicantur partibus, non verò facultates, ſi propriè loquendum eſt: nam facultas eſt organo inſita, ut viſus oculo; ſed non poteſt videre ſine ſpiritu, per nervos opticos communicato. Idem judicium eſto de aliis facultatibus; quarum objecta, & media, melius intelligentur in particulari ſingulorum ſenſuum explicatione.

Dividuntur in internos, & externos. hi quinque numero creduntur. Viſus, Auditus, Olfactus, Guſtus, Tactus: de quibus tanto brevius dicemus, quanto accuratius à Phyſicis illi conſiderantur. Et primò viſus, omnium nobiliſſimus, occurrit. Cognoſcitur (ſicut & reliqui ſenſus) ex relatione ad obje-

E ctum.

Digitized by Google

ctum. Eſt autem objectum omne viſile, color, nimirum, lux, & tertium innominatum, in tenebris lucens, piſcis ſquamma &c. quod tamen ad ſuperiora non incommode reduci poteſt. Colores generantur ex elementis, non qua calidis, aut frigidis &c. ſed qua perſpicuis & opacis. Color viſum non movet niſi illuminetur: unde ejus actus & forma lumen appellatur; alioqui color in tenebris exiſtit: verum tum non eſt aptus viſum movere. Ipſum lumen in Diaphano non cernitur; eſt tamen Diaphani ſeu perſpicui, quà tale, forma: nam perſpicuum indifferenter ſe habet ad lumen, & tenebras; at quatenus eſt medium conveniens, ejus actus eſt lumen. Lumen eſt lucis quaſi intentio. Lux eſt in corpore lucido; at propagatio ejus per medium eſt lumen. Diximus jam, generari colores ex miſtione lucidi cum opaco: ex quorum varia proportione reſultant colo-

colores varii, tam extremi, quam medii. Color immediate non movet viſum, verum mediante ſpecie; ſimilitudine nimirum, ſeu repræſentatione, & ſigno formali. Iam vero an lumen ſit neceſſarium propter ſolum objectum coloratum, an medium, an ſolum oculum; diſputatur: quidam propter omnia, quidam propter ſolum objectum, neceſſarium arbitrantur.

Sed tranſeamus ad viſionem, quomodo nimirum ea fiat: quam quidam putant ſolâ radiorum ad objectum emiſſione fieri: quidam contra ſola ſpecierum receptione: quidam utroque modo. Ariſtotelis ſententia meo judicio maximè eſt probabilis; nihil ſcilicet ex oculo ad objectum procedere, ſed contra objectum per mediam ſpeciem oculum immutare. nuda tamen ſpeciei receptio non eſt viſio, ſed oculus, receptâ ſpecie, (quæ concurrit per modum formæ actuan-

tis, & determinantis) promit videndi actum, quo objectum ſufficienter repræſentatur, oculuſque fit res viſa; modo tamen ſpirituali. Inſtrumentum eſt oculus, non tamen quæcunque ejus pars, (nam jam diximus, actiones fieri à parte diſſimilari, ratione alicujus ſimilaris) ſed humor cryſtallinus, ubi reſidet facultas; reliquæ ſubſerviunt tantum.

Sequitur Auditus, in quo enarrando eundem ordinem ſervabimus; hoc eſt, objectum, medium, & organum examinabimus. Sonus eſt objectum in quod facultas iſta fertur; qualitas genita ex aëre colliſo inter duo ſolida corpora. Nam ad perfectiſſimum ſonum, concurrunt duo corpora ſeſe collidentia, & quidem celeriter: tum intermedius aër fractus; cujus, ut dixi, fractionem ſequitur ſonus. Soni ad aures propagatio, non fit per lineam rectam, quemadmodum in

viſu,

viſu, ſed per circularem; diffunditurque eo modo, quo circuli in aquâ ex lapilli injectione. Differentiæ ſoni maxime pendent ex corporum variâ colliſione; nam alii ſunt graves, alii acuti. Differunt ſonus, vox, ſermo, tanquam ſuperius, & inferius. quod enim à rebus inanimatis fit, ſonus tantum eſt, quod in animalibus brutis ab inſtrumentis reſpirationi dicatis, vox eſt, & ea quidem inarticulata. Verum ſi eadem ſit articulata, ſermo erit homini proprius. Fit autem, cum aër ex pulmone in caput aſperæ arteriæ impulſus variè colliditur: epiglottis ſiquidem aërem impulſum repellit & temperat; ſi enim ſubitò exiret, nuda eſſet exſufflatio, non vox. Inſtrumentum eſt lingua. cui ſubſerviunt, palatum, dentes, labia, nares &c. Eadem lingua eſt guſtus inſtrumentum: nam didicimus ex Philoſopho, eandem partem variis uſibus inſervire poſſe. Atque hæc de

de objecto. Medium, eſt aqua vel aër, quibus communicatur ſonus auditui. Inſtrumentum eſt internum, tenuis membrana, aëre plena: non quidem aër, ut voluit Philoſophus, ſed, ut dixi, membrana cui inſidet facultas audiendi. Cum ergo receperit ſeu ſonum, ſeu illius ſpeciem, facultas, ea imbuta, promit audiendi functionem, hoc eſt audit.

Sequitur Olfactus; ſenſus in homine admodum hebes. Objectum eſt odor. qui cognoſcitur ex analogia ad ſaporem, propter ſenſus & inſtrumenti imperfectionem. Quidam putant, eſſe aut exhalationem, aut illi tamen conjunctam. Generatur ex ſicco in humido à calore concocto: ſicut enim ſapor pendet ab humore, ita odor contra à ſiccitate. Dixi jam, hunc ſenſum in nobis eſſe hebetem propter organum. Quæ cauſſa eſt imponendi nomina odoribus ex ſaporibus, qui nobis multo

multo notiores ſunt: guſtus enim humanus eſt exquiſitiſſimus. Medium non tantum eſt aër, ſed & aqua, ut in piſcibus videre eſt. Inſtrumentum, cui inhæret facultas, eſt proceſſus mammillaris, in anteriore cerebri parte prominens.

Sequuntur Guſtus, & Tactus, qui nec medium habent, nec ſpeciem repræſentantem objectum, ſicut ſuperiores ſenſus, quemadmodum experientia, philoſophiæ magiſtra, convincit. Officio ergo defungemur, ſi objectum & organum explicuerimus breviter. Guſtus objectum eſt Sapor; qualitas ſecunda, genita à calore in humido ſicco; ita tamen, ut ſuperet humidum. Et ſapor, & odor, in alimentis ſunt illecebræ, quibus eorum convenientia exploratur: quanquam odor locum habeat in rebus non nutrientibus. Saporum alii extremi, alii intermedii. Illi, ex ſententiâ philoſo-

Digitized by Google

phi, ſunt amarus, & dulcis. Galenus tamen, conſiderans ſaporum cauſſas, alios ſubſtituit, ponticum nimirum & acutum. Intermedii ſapores ſunt ſalſus, acris, auſterus, acidus, acerbus. Inſtrumentum eſt lingua, & quidem pars interior ſeu cuſpis. Fruſtra ſunt qui aut medium internum, aut ſpeciem hic requirunt.

Tactus ſequitur; qui quanquam dignitate ſit poſtremus, neceſſitate tamen eſt primus. Hic, ut reliqui, non depoſcit peculiare organum, aut partem, ſed fuſus eſt per univerſum corpus, ſi oſſa excipias, & cerebrum: quanquam hoc ſentire, licet obſcurè, contendant quidam. Hic non eſt multiplex, quemadmodum nonnulli tradidere, ſed ſimplex. quia in omnibus partibus eſt eadem ratio, idem modus tangendi. Sicut enim vis videndi non eſt multiplex, licet plures ſint colores, quia omnes eodem modo afficiunt viſum, eumque alterant; ita de tactu judicandum.

Digitized by Google

dum. In omnibus enim partibus eodem modo ſit alteratio; nimirum ſine medio, aut externo, aut interno, ab iiſdem qualitatibus primis, quarum exceſſus tantum percipiuntur. Reliqui ſenſus carent qualitatibus iis, quas percipiunt: humor enim cryſtallinus non eſt coloratus; nec auris habet in ſe ſonum; aut lingua peculiarem ſaporem: at tactus, cum ſit vitæ fundamentum, conſiſtatque in elémentis convenienter temperatis, debet habere in ſe qualitates primas. quas tamen non percipit eo gradu quo in ſe habet. id eſt, manus calida, ut duo, (exempli cauſſa) non percipit objectum eodem modo calidum; verum calidius aut frigidius. & hinc eſt, quod exceſſus tantum qualitatum primarum percipere credatur. Objectum eſt qualitas prima, ad quam exiguntúr omnes ſecundæ tactiles: medium nullum; ſicut nec ſpecies; quemadmodum in oculo. Porro,

 hunc

Digitized by Google

hunc ſenſum, ſicut & guſtum, homo habet perfectiſſimum. & quanquam viſu, aut olfactu, ab aliis ſuperetur animalibus, tamen eadem ſuperat in hiſce duobus, propter exquiſitiſſimam membri temperiem: quæ ſi corrumpatur, interitum animali adfert; ſecus ac in aliis ſenſibus contingit. Inſtrumentum eſt, caro, cutis, membrana; omnis denique pars cui inſidet nervus; hic licet facultatem non ferat à cerebro, defert tamen ſpiritum animalem, ſine quo ſenſatio obiri nequit.

Commune eſt omni ſenſui, à vehementi ſenſibili lædi; ut in oculo, à nimio ſplendore, videre eſt; auditu etiam, à ſono nimium vehementi.

Atque hæc de ſenſibus externis, ſequuntur interni: quorum numerus cognoſcitur ex operationum varietate. Unde alii plures, alii pauciores fecere; nos duos ponimus; ſenſum

ſum communem, & phantaſiam; ad quam revocatur memoria. Senſus communis, ita eſt cõparatus ad ſenſus externos, quemadmodum centrum ad circumferentiam; eſtque judex quaſi ſenſuum externorum. Nam oculus judicat quidem de colore, & auditus de ſono; verum non poteſt diſtinguere inter colorem & ſonum, quem ignorat; & tamen nos diſtinguimus inter illa duo objecta; ergo ſenſu diſtincto à ſenſibus externis, quem vocamus communem. cujus inſtrumentum eſt cerebrum, inprimis ea pars, unde oriuntur nervi, & communicantur ſpiritus ceteris partibus, ſenſibuſque externis. Iudicat autem non de abſentibus rebus, ſed tantum præſentibus, quarum ſpecies à ſenſibus externis ad eum tanquam judicem deferuntur. Verum cum animalia bruta, abſentia etiam cognoſcant, & de præſentibus, modo aliquo, licet imperfecto, diſcurrant, & ra-

tiocinentur, ut in cane, elephanto videre eſt; imo quædam fingant, quæ in externum ſenſum nunquam incurrerunt; functiones hæ à dicta facultate fieri nequeunt. Nec tamen referendæ ſunt in intellectum, cum pariter brutis animantibus inſint. Reliquum eſt, ut à phantaſia oriantur. Hæc facutas eſt media inter intellectum, & ſenſum communem: nam, ut dixi, diſcurrit, & ratiocinatur, ſpecieſque à ſenſu communi ad ſe tranſmiſſas componit inter ſe, & verſat. In bruto eſt ſuprema facultas, in homine non item; ſed mens, cui tamen proximè & immediate ancillatur. Sedes, eſt cerebrum. Huc pertinet memoria: (nec enim eſt nova facultas) eadem enim vis, & ſpecies retinet, & retentis utitur. Verum quidem eſt, memorandi actum eſſe rei præteritæ & antea cognitæ repetitionem; ſed quid quæſo neceſſe eſt ſtatuere novam facultatem diſtinctam à phantaſia?

Digitized by Google

taſia? Atque hæc de ſenſibus internis, ſenſu communi & phantaſiâ, quam Medici inter principes facultates numerant.

Porro ad ſenſum communem, tum Medici tum Philoſophi referunt ſomnum, & vigilias; has tanquam habitum, illum tanquam privationem. Vigilare dicitur animal, cum ſenſuum externorum functiones obit. ſicut contra ceſſatio ab hujuſmodi operatione, ſomnus eſt. Ceſſatio hic non eſt quælibet, ſicut in veterno, & comate, diſpoſitionibus ſcilicet morboſis: ſed naturalis affectus & conſequens vigilias: earum ſiquidem tempore ſpiritus animalis conſumitur, qui ut reparetur, quieſcendum eſt animali. Cerebrum ergo, perfuſum benigno vapore, non poteſt ſenſibus externis communicare ſpiritus; (via enim obſtruitur) quod impedimentum eſt ſomnus. Quod tamen non eſt ita accipiendum, quaſi nulli prorſus

ſus ſpiritus à cerebro diffundantur: (nam videmus dormientes reſpirare; loqui, interdum ambulare:) ſed quia non tam ſufficientes, quam requiruntur in externorum ſenſuum actionibus ritè obeundis. Quod ſi phantaſia ſpecies & imagines in cerebro ſecundum quietem verſet, & conſideret; generabitur ſomnium, idque animale. Credibile admodum eſt, homines in ſomnio ea maximè cogitare, quæ interdiu tractare ſolent.

Quanquam intelligendi vis, non inſideat corpori, quemadmodum ſuperiores de quibus egimus: quia tamen ejus functio pendet à phantaſiæ, aliorumque ſenſuum miniſterio; ordo poſcit, ut eam perſtringamus leviter. Eſt autem potentia intelligendi, eadem cum mente, & ratione; nam varia habet nomina ex modo operandi. Intellectus hic patiens, (non agens, qui non intelligit) eſt ſedes omnium habituum intel-

intellectualium, ſcientiæ, artis &c. ſuprema in homine facultas: nec habet determinatum aliquod objectum, ut oculus colorem, ſed indifferenter omnia cognoſcit; materialia, immaterialia, ſubſtantias, accidentia; quanquam objectum maximè proportionatum ſit res ſenſibilis. Potentiæ ſenſitivæ à vehementi ſenſibili læduntur, non item intellectus: ſed quanto objectum eſt præſtantius & nobilius, tanto magis perficitur. Hic à primævâ origine nullam ſpeciem, aut cognitionem habet inſitam, ſed tempore miniſterio ſenſuum acquirit. Dicitur autem patiens, non quod tantum patiatur; nam intelligit, intelligere autem eſt agere; ſed quia à phantaſmatis patitur, eo modo quo viſus à calore, à quo patitur tantum. Operatio ejuſdem eſt triplex, ſimplicium apprehenſio, compoſitio, ratiocinatio ſeu diſcurſus. pro diverſa operatione, nunc vocatur ſpecula-

culativus, nunc practicus. Intellectui huic patienti reſpondet agens; potentia animæ, (nec enim eſt actus ſeparatus, ut quidam tradidêre) quæ, illuſtrando phantaſmata, agit in intellellectum patientem, eo modo quo color illuminatus in oculum. Comparatur à Philoſopho lumini eâdem de cauſa. Nam ſicut lumen colores actuat, efficitque ut videantur: ita intellectus agens junctus phantaſmatis, facit illa intelligibilia. Intellectui huic patienti reſpondet proprius appetitus, qui voluntas, ſeu liberum arbitrium, dicitur. Appetitus, ut dixi, non cognoſcit, ſed cognitionem ſequitur; proinde objectum eſt bonum, à ratione monſtratum & propoſitum. Duæ hæ potentiæ ſunt univerſales reſpectu objecti; nec enim more aliarum facultatum determinatum ſibi poſcunt. Suntque etiam immateriales, nec organum aliquod poſcunt. quia tamen volun-

voluntas pendet ab intellectu, hic vero à phantaſia; (quæ ſi lædatur, vitiatur & intellectio, ut in furioſo videre eſt) fit ut per accidens domicilium poſcant cerebrum. Porrò virtutes morales, fortitudo, temperantia, aliæque, huic inſunt, non appetitui ſenſitivo: cui tamen perturbationes, amor, ira, odium, inſunt. appetitus ſenſitivus eodem modo ſe habet ad phantaſiam, quo voluntas ad intellectum; ſedes tamen eſt cor, cui perturbationes inhærent. videmus enim, eas cum motu cordis intendi & remitti. Quod enim vis concupiſcibilis dicatur reſidere in hepate, nihil eſt: nullus enim motus, aut actio animalis, inde oritur, ſed à corde tantum. Porrò facultas locomotiva eſt muſculis inſita; quæ tamen non poteſt ſe expedire ſine ſpiritu animali per nervos à cerebro communicato. Quâ de cauſſa cerebrum dicitur ſedes facultatis animalis.

Digitized by Google

Quod non eſt ita intelligendum, quaſi vis illa animæ, ſeu facultas, à cerebro per nervos communicetur: nam, ut dixi, hæc ſuo organo eſt inſita; ſed, quia non exit in actum ſine ſpiritu animali, cujus vehiculum eſt nervus, cujus, ut loquuntur, irradiatione, influit cerebrum in ſubjecta membra. Ad motum localem plura concurrunt: primo quidem appetitus, tanquam movens proximè facultatem motricem; verum cum facultas hæc cœca ſit, dirigitur à phantaſiâ & intellectu. Bruta enim animantia tantum habent appetitum ſenſitivum, & phantaſiam; homo, præter iſta, intellectum & voluntatem. Ergo directio eſt à potentiâ cognoſcente, appetitus vero movet membra, ad quæ à cerebro confluunt ſpiritus animales, quibus inſtructa, moventur in hunc, aut illum locum. Atque hæc quidem breviter de primâ

mâ Medicinæ parte; quam tanto leviore brachio abſolvi, quanto magis ad Philoſophiam ſpectat.

Finis Libri primi.

IN-

Digitized by Google

INSTITUTIONES MEDICÆ.

LIBER II.

De morbis, eorumque Differentiis.

CAPUT I.

De Morbi definitione.

INgredimur primùm Medicinam. quæ enim diximus libro ſuperiore, phyſica magis ſunt, quam medica; qua de cauſſa negligentius ea tractavimus. ſequitur Pathologia; in quâ de morbis, eorumque differentiis, agetur; de rebus nimirum contra naturam; morbo ſcilicet, cauſſa, & ſymptomate. ſicut in ſuperiore ea, quibus corpus humanum conſtat, complexi ſumus; quæ propterea vocantur res naturales.

Digitized by Google

rales. Contraria nata ſunt idem ſubjectum reſpicere; ita virtutes & vitia voluntatem, tanquam ſubjectum, informant, è quo ſe expellunt. Sanitas, & morbus, cum ſint diſpoſitiones contrariæ; idem neceſſariò habebunt ſubjectum: jam verò ſanitatis ſubjectum eſt corpus animatum; non humor, non ſpiritus, res inanimes: eidem ergo & morbus inerit. Sanitas eſt ea corporis conſtitutio; quâ functiones omnes, naturales, vitales, animales inculpatè obeuntur; cui cum repugnet morbus; erit neceſſariò actionis alicujus impedimentum, ſeu diſpoſitio contra naturam actionem impediens. Quod non eſt ita accipiendum, quaſi ſanitas ſit ipſa corporis inculpata functio: ſed eſt ea corporis conſtitutio à quâ actiones inculpatè procedunt: quando nimirũ partes tam ſimilares, quam diſſimilares habent diſpoſitionem naturæ convenientem. Unde organum

ganum ſanum convenienter agit: ægrum autem, aut morbidum inconvenienter. Sicut ſanitas non eſt ipſa actio; (nam dormientes etiamſi nihil agant, ſani tamen ſunt,) ita morbus non eſt læſa actio, ſed ejus cauſſa & principium.

Eſt autem morbus diſpoſitio animati corporis præter naturam, per ſe primò actionem manifeſte lædens. Dico, præter naturam; ut removeatur impotentia naturalis; nemo enim dixerit, oculum malè videre, ſi in tenebris non videat: aut ventriculum male concoquere, ſi lapidem in chylum non commutet: ſunt enim impotentiæ naturales ab ortu homini ſano inſitæ: idem hic eſt, præter naturam, & contra naturam. Dico, animati; ut innuam morbi ſubjectum: cum enim ſanitas ſit in membro bene habente, ita contra morbus in eodem membro erit, malè tamen habente. conſtat verò membra eſſe animata, ſicut

& aliæ

Digitized by Google

& aliæ partes ſolidæ: & quanquam humores efficiant morbos, nunquam ipſi dicuntur in ſe eos recipere, aut eorum eſſe ſubjecta. Dico, manifeſtè lædens &c. ut leves in corpore diſpoſitiones removeantur. nec enim dicitur febricitare, ſi præter modum quiſpiam ludendo incaleſcat; ſi modo calor ſit in fieri, non autem ſit in facto. alioqui ſi leves hujuſmodi diſpoſitiones haberi debent pro morbis, introducetur ἀειπάθεια, tantopere à Galeno exploſa. omnibus ſiquidem conſtat, magnam eſſe ſanitatis latitudinem, nec in indiviſibili poſitam eſſe. Dico tandem, per ſe primò; ut excludamus cauſſam, quæ lædit actionem, ſed mediante morbo. Quanquam quidam putant, differentiam poni inter læſionem eam, quæ fit ex conſenſu, & quæ per eſſentiam parti ineſt. Duobus modis contingit actionem quampiam lædi. aut quia pars lædens actionem, eſt in ſe ipſa læſa,

Digitized by Google

læſa, ut, in febre hectica, cor: aut quia conſentit parti alicui læſæ; ſicut dolet caput ex intemperie ventriculi. Quod tribus modis contingit; aut quia communicatur illud, quod non debebat communicari, ut in dicto exemplo: aut quia non communicatur, quod debebat communicari; ut ſpina male affecta facit digiti reſolutionem, quia impeditur ſpiritus animalis, & intercipitur: ita vulnera thoracis impediunt vocem, quia ejus materia, aër, per vulnus efflatur, nec communicatur quod debebat communicari. Itaque quando pars ipſa in ſe eſt affecta, ſine alterius conſenſu, tum propriè morbidam eſſe & ægrotare veteres dicebant: verum ſi pars, ex conſenſu prius laborans, recipiat diſpoſitionem conſtanter, tum non laborat ex conſenſu; quia curata alia parte, à quâ proceſſit, adhuc perſeverat. Morbus interdum eſt morbi cauſſa; ſicut peripneumonia, phrenitis,

nitis, efficiunt febrim ex propriâ naturâ recipientium & agentium partium. Interdum ex partium connexione, & ſocietate; quomodo ventriculus per nervos vapores ad cerebrum tranſmittit. Nonnunquam ſitus partium in cauſſa eſt. quomodo aſthma generatur ex cerebri excrementis. & membra ſuperiora ſuperfluos humores demittunt ad inferiora. Quid? quod membra valida exonerant ſe in debiliora, eaque præter naturam male diſponunt. Porro fruſtra Argenterius carpit Galeni definitionem morbi: putat enim, eum non primò lædere actionem, ſed facultatem. Quaſi vero iſta pugnent? nam lædit facultatem, tanquam forma male diſponens; ſicut intemperantia lædit voluntatem, tanquam vitioſa forma; lædit actionem quoque; ſed in genere cauſſæ efficientis; efficit enim malam actionem.

Cap. II.

De Morborum diviſione.

COgnitâ morbi eſſentiâ, reliquum eſt ut ejus differentias perſequamur. Quod tamen priuſquam fiat, difficultas quædam eſt removenda. Sanitas & morbus ſibi mutuò contrariantur. Ergo quot modis dicitur morbus, tot ſanitas dicetur: quod tamen falſum videtur; cum ſanitas non dividatur in alias ſpecie diſtinctas, ſicut morbus. Reſpondeo, ſanitatem eodem prorſus modò dividi quo morbum; verum quia laboramus verborum penuriâ, ſpecies uſurpant generis ſui nomen. Conſiſtit enim ſanitas in conveniente diſpoſitione, quæ multiplex exiſtit: alia enim eſt diſpoſitio cerebri ſecundum naturam, alia hepatis, alia cordis, non tantum in qualitatibus activis, ſed & paſſivis.

Digitized by Google

Idem de partium conformatione judicium eſto. Nam ſicut ſingulis ineſt ſua temperies; ita & partium figura, magnitudo, ſitus &c. Morborum differentiæ aliæ ſunt eſſentiales, deſumptæ nimirum à rei eſſentia; aliæ accidentales; quas tamen Medici ſuis uſibus accommodarunt. Cum itaque ſanitas corporis conſiſtat in bonâ partium ſimilarium temperie, organorum convenienti diſpoſitione, in numero, ſitu, figura &c. & partium utrarumque unitate, naturalique conjunctione; oriuntur neceſſariò primæ morborum ſpecies, habentes differentias eſſentiales. Partium ſimilarium eſt intemperies; quæ totuplex eſt, quotuplex eſt qualitas prima, alia calida, frigida, humida, ſicca. atque hæc prima eſt morbi ſpecies. Secunda eſt partium diſſimilarium mala conformatio vel compoſitio; Tertia unitatis ſolutio.

Diviſionis ratio inde conſtat.

Morbus omnis eſt diſpoſitio præter naturam; jam intemperies calida eſt præter naturam, eſt enim caloris exceſſus: ita prava compoſitio eſt præter naturam, ut ſi membrum inſigniter ſit magnum, aut parvum. idem ſtatuendum de unitatis ſolutione; quanquam ſpecies ſubjectæ non ita diſtinguantur, ſicut in ſolutione unitatis, muſculi, & nervi videre eſt. Cæterum diviſio febris in bilioſam, pituitoſam &c. eſt commoda uſibus medicis, non tamen procedit per differentias eſſentiales, ſed accidentales: nec enim variatur calor, ſive ſit in pituita, ſive in ſanguine, ſive aqua. idem judicium eſto de morbo longo, & brevi. Sed ad rem.

Temperies, ſicut & intemperies, debentur parti ſimilari; cujus & eſt conditio, ut totum, & pars quævis, idem habeant temperamentum. quando ergo elementorum proportio eſt violata, ita ut pars depravatè

agat,

Digitized by Google

agat, oritur morbus ſimilaris. Exempli cauſſa; in corde ſi calor ſuperet reliquas qualitates, aut calor & ſiccitas, oritur febris: & quia ſunt quatuor temperamenta ſimplicia, & totidem compoſita, tot erunt morbi ſimilares.

Secundum genus morbi eſt mala compoſitio, eſtq; quadruplex, conformationis nimirum, numeri, magnitudinis, ſitus.

Quod ad primam ſpeciem attinet, conformationem ſcilicet; ea comprehendit tres ſpecies. Quarum prima eſt vitiata figura; ut ſi pars quæ ſecundum naturam recta eſſe debet, incurvetur, aut contra, ut in claudis videre eſt. Secunda eſt vitiata ſuperficies; quando ſcilicet pars quæ debebat eſſe levis, eſt aſpera, aut contra. illius exemplum eſt in faucibus ab acri catarrho obſeſſis; hujus in lienteria. Tertia ſpecies eſt in cavitatibus; quando ſcilicet partes nimium aut contra-

huntur, aut dilatantur. Non incommodè referri poteſt huc vitiatus color humoris aquei in oculis ictericorum. nam lædit actionem. debebat enim oculus naturaliter tali colore deſtitui: nec audiendus eſt Valeſius aliter diſtinguens.

Secundum genus morbi organici eſt ex numeri vitio, quando ſcilicet pars aliqua deficit, aut redundat. Redundantia iſta non tantum eſt intelligenda in parte aliquâ integrâ, ut ſexto digito, tertio teſte: ſed etiam in parte adnaſcente organo naturali, ut polypus, lumbrici, calculi: reſpectu enim partis cui inſident, ejus ſtructuram lædunt, ſuâque præſentiâ actiones lædunt. Deficit membrum in mutilato.

Tertium genus morbi organici naſcitur magnitudinis vitio; quando pars non habet juſtam magnitudinem, ſed eſt aut juſto major, aut minor: huc pertinent tumores partium, œdema, ſcirrhus.

Poſtre-

Poſtremum genus eſt in vitiato ſitu, cum ſcilicet membra non habent naturalem locum; ut procidentia uteri, pedis luxatio. huc pertinet membrorum conſenſus, & debita connexio, quæ ſi violetur, morbus erit. ut ſi labia coaleſcant, &c.

Tertium morbi genus eſt ſolutio continui, communis parti tum ſimilari, tum diſſimilari: utraque enim, ut inculpatè ſunctiones obeat, requirit partium unionem. Hoc genus continet varias ſpecies & differentias, pro partis affectæ diverſitate, & cauſarum natura. ſi enim ſubjectum conſideres, carnem; vulnus, ulcus ei tribuitur: oſſibus, fiſſura, fractura; nervis convulſio. Sin cauſſam ſpectes; eſt vulnus à re incidente, ſecante.

Non ignoro, magnum authorem addere præterea morbos formæ & materiæ: ſed fruſtra; nam materiæ morbi referuntur ad pravam com-

poſitionem; idque facillime. Morbi formæ nulli ſunt diſtincti à morbis ſimilaribus. niſi mavis, formam ſubſtantialem immediatè lædi, non læſo temperamento; quod inauditum eſt. ergo temperamento partis integro, & figura quoque, læditur actio ex ſolo formæ vitio; quod falſum eſt. nam ſi de homine loquimur, illius forma lædi non poteſt; eſt enim immortalis. Sed plura dicere hoc loco, ob propoſitam brevitatem, non licet.

Nec ſunt ſimpliciſſima morborum genera, ex quibus conjunctis oriantur morbi compoſiti. Variis autem modis componuntur: interdum ſimilares cum ſimilaribus; interdum ſimilares cum morbis organicis, aut ſolutione continui. exempla ſunt obvia.

Dixi, præter differentias morborum eſſentiales, de quibus jam egi, eſſe alias accidentarias, convenientes tamen medicis uſibus; quales

ſunt

ſunt quæ petuntur à morborum conſequentibus, cauſſis, ſubjectis, quæ omnia ſunt extra eſſentiam morbi. ac primo ratione magnitudinis (eſt autem magnitudo receſſus magnus à naturali conſtitutione, ut in ardente febre caloris immodica intentio & incrementum) magnus alius, alius parvus morbus erit; qui æſtimantur & cognoſcuntur ex adjunctis ſymptomatis. ergo magnus morbus magna habet ſymptomata; parvus contra; quanquam, in definiendâ magnitudine, non omnes conſentiant. Interdum magnus morbus dicitur, qui ſuâ eſſentiâ & naturâ eſt talis, ut apoplexia: magnum enim vitæ minatur periculum. Interdum morbi magnitudo æſtimatur ex præſtantia & neceſſitate affectæ partis, ut vulnus cordis, aut jecoris. Si enim vulnus ſit in parte ignobili, eſt parvus morbus; at idem in membris prædictis magnus erit. Quid? quod

morbi maligni interdum magni dicuntur, ut peſtis. A duratione (eſt autem permanentia ſeu continuatio morbi in eſſe, ut loquuntur præhabito) nova oritur morborum accidentaria diviſio in longos & breves. hi cito finiuntur, ut diaria febris, peſtis: illi diutius durant, ut elephantiaſis. Si morbus ſit & brevis & magnus, dicitur acutus: cujus magna eſt varietas. Dividitur enim in peracutum, acutum ſimpliciter, & ex decidentiâ acutum, ſive ἐκ μεταπτώσεως. Tum peracutus in exquiſitè talem, & minus exquiſitè: ille velociſſime movetur, ac tertio nimirum aut quarto die; ut peſtis, apoplexia: hic ad ſeptimum cunctatur. Acutus ſimpliciter durat 14. dies: ſi non ſit exquiſitè acutus, ad 20. protrahitur. at acutus ex decidentiâ, vel degeneratione, ad 40. diem extenditur. Qui vero diutius durant, longi dicuntur & chronici.

Sci-

Digitized by Google

Sciendum hîc; quemadmodum in ætatibus, ita in morbis variæ ſunt mutationes, dependentes à cauſſis morbificis; unde emergunt morborum tempora, principium, augmentum, ſtatus & declinatio. Quatuor hæc tempora, vel ſunt univerſalia reſpectu totius morbi; vel particularia reſpectu partis alicujus in morbo; quemadmodum videre eſt in febribus intermittentibus. Principium morbi variè definiri ſolet; nos tempus vocabimus, quo morbi cauſa manifeſtè, & ſenſibiliter lædere incipit. Augmentum; quando cauſſæ vehementius agunt, morbuſque creſcere incipit, tumque natura manifeſtè reſiſtit. Status morbi (aliter in ætatibus à quibuſdam uſurpatur) quando eſt lucta vehementiſſima inter facultatem, & morbum; quo tempore vigent ſymptomata. Poſtremo eſt declinatio, in quâ morbo profligato natura victrix evadit. Poſtremum hoc tempus lo-

cum habet in ſolis morbis ſalutaribus: nam ſi lethalis ſit, nulla erit declinatio, in qua non moriuntur ægri, ſed in augmento, aut alio tempore. Non omnes morbi habent ejuſmodi tempora; ſed illi ſoli qui non remittunt, ſed à principio ad finem continenter moventur. Quibus vero in morbis eſt aut intermiſſio, aut remiſſio, habent, præter illa quatuor, totidem in ſingulis paroxyſmis tempora particularia; ut in tertiana intermittente videre eſt.

Dividitur quoque morbus in continuum & intermittentem. Ille continuò affligit, nec intermittit. Quod ſi non modò continuo affligat, ſed etiam ſine omni remiſſione, eſt morbus continens, ut ſynochus: at ſi per intervalla & certas periodos remittat, morbus eſt ſimpliciter continuus; ut tertiana continua. Intermittens ad perfectam integritatem ſolet devenire, & inter-

termiſſionem. ut tertiana intermittens. Itaque hujuſmodi morbi quinque habent tempora. nimirum ipſam intermiſſionem, & quatuor tempora particularia paroxyſmi, principium, augmentum &c. Intermiſſio ipſa cum paroxyſmo conſtituit periodum.

Reſpectu ſymptomatum, morbi quidam dicuntur mites, quidam maligni, quidam inter hos medii. Dividi ſolet morbus in ſalutarem, qui curari poteſt; & lethalem, qui eſt incurabilis; & in eum qui medio modo ſe habet: nam elephantiaſis, & lues venerea, ſæpè non poſſunt curari, nec tamen ſunt lethales; unde medio modo ſe habent.

Dividitur quoque morbus ratione ſubjecti multis modis. nam alii dicuntur temperamento ſimiles, alii diſſimiles. alii morbi ſunt virorum, alii fœminarum proprii, ut ſuffocatio uteri, alii puerorum, alii juvenum, alii denique ſenum.

Sic

Sic morbi dicuntur univerſales, ut febris, quia totum corpus occupant; alii particulares, qui unam partem affligunt, ut polypus naſum: &c.

Reſpectu regionum & locorum differunt morbi. alii enim ſunt ſporadici, quando ſpecie diverſi eodem in loco & tempore graſſantur. alii pandemii, ejuſdem nimirum generis morbi, eodem tempore & loco graſſantes. qui dividuntur in Endemios & Epidemios. Illi ſunt vernaculi, locique vitio ſemper fiunt, ut ſtruma in Valeſiis. Hi, loci vitio non fiunt, ſed alia cauſſa generantur; proinde diverſas regiones ſimul infeſtant, ut peſtis. Quibus omnibus adjici poteſt, diviſio morborum in veteres & novos. illos voco Græcis & imprimis Hippocrati & Galeno notos, ut Apoplexiam: hos nuper natos, ut luem veneream, ſudorem Anglicum, plicam Polonicam; quibus addunt

non-

Digitized by Google

nonnulli variolos, morbillos, ſcorbutum.

CAP. III.

De Morborum Cauſſis.

MOrbi cognitio & curatio haberi nequeunt, ignoratis ejus cauſſis quibus conſtat. qua parte Rationales Medici præſtant Empiricis: hi enim cauſsâ neglectâ, ſolum morbum intuentes, non poſſunt rectè curare. Cauſſa eſt principium cujus vi effectus producitur: eſtque quadruplex; efficiens, finalis, materialis & formalis: exemplarem Peripatetici reducunt ad efficientem. Quæ porro dividi poſſunt in cauſſas per ſe, & per accidens. Illæ ſunt à quibus effectus ſecundum eſſentiam quam habent pendent; ut inſolatio, & liberalior generoſi vini potus, ſunt cauſſæ per ſe febris: hæ ſecundum eſſe quod habent,

habent,non pendent à talibus cauſſis, ſed aliarum interventu faciunt, quod faciunt; quemadmodum frigus producit febrem, condenſando cutem, & impediendo fuliginum tranſpirationem. qua de cauſſa ventres hyeme creduntur calidiores. Efficiens & finis ſunt externæ cauſſæ; reliquæ internæ. Quod intelligendum venit de ſubſtantiis phyſicis. Nam in morbis non eſt materia ex qua, ſed in quâ, ſicut in omnibus accidentibus videre eſt. Ergo morbi materia eſt ſubjectum, quod malè diſponit: hoc autem corpus animatum eſt. Diximus antea, humorem, & ſpiritum, non eſſe ſubjectum morbi, verum cauſſam efficientem: idem enim eſt contrariorum ſubjectum. res autem inanimes non ſunt ſanæ: ergò nec ægræ dici poſſunt. Forma morbi eſt diſpoſitio illa præter naturam de quâ egimus. Accidens omne ſibi ipſi eſt forma, nec aliam habere poteſt;

teſt: albedo enim non habet formam à ſe ipsâ diſtinctam. ergò nec morbus, qui eſt accidens. Finis morbi nullus eſt. Nam à natura non intenditur: eſt enim quidpiam malum & imperfectum, proinde ſuâ naturâ non appetibile. Quod ſi Chirurgus ſecet, & urat ſanitatis cauſsâ, ut majus incommodum declinetur; ſciendum, uſtionem eſſe tum auxilium & remedium, non morbum. Omiſſis ergò hiſce tribus cauſſarum generibus, ad efficientem veniamus. quæ ſemper intelligitur à Medicis, quando abſolutè fit cauſſæ mentio.

Eſt autem efficiens cauſſa, principium à quo morbus fit. Sciendum hic efficientem cauſſam ſemper ſupponere ſubjectum habile; alioqui non efficeret. Unde ſæpè videas, tempore peſtis, etiamſi in loco infecto plures morentur, non omnes tamen eâ corripi, ob nullam cauſſam aliam, niſi quod hic habeat ſubjectum,

ctum, & corpus diſpoſitum; ille autem non.

Cauſſæ efficientis multiplex eſt diviſio. Eſt enim alia interna, alia externa; quæ diviſio eſt in ordine ad noſtrum corpus. illa ſiquidem eſt extra, ut aër, balneum; hæc in ipſo corpore ſubſiſtit, ut cacochymia. Secundo dividitur in manifeſtam & occultam. hæc ut inveſtigetur, eget artificiali conjectura; illa ſenſibus eſt obvia & manifeſta. Celeberrima eſt diviſio cauſſarum in προκαταρκτικὰς, προηγουμένας, & συνεκτικὰς. Προκαταρκτικὰς quidam vocant primitivas, præincipientes, prægreſſas; dictæ ſunt à veteribus non tam morborum cauſſæ, quam occaſiones: quia nunquam morbum faciunt, niſi corpus habeat diſpoſitionem pravam & morboſam: ac proinde corpora valida non afficiunt. Quemadmodum exercitium non ita vehemens, in corpore valido febrem non producit, at in corpore

pore pravè affecto latentem diſpoſitionem excitat. Ergo hæc cauſſa ſemper eſt evidens; ſed non reciprocandum, ita ut omnis evidens cauſſa ſit procatarctica. Gladius vulneris eſt cauſſa evidens, ſed non procatarctica; quia nullam ſupponit in corpore diſpoſitionem. Cauſſa προηγουμένη cauſſa eſt antecedens; diſpoſitio ſcilicet in corpore abdita & latens, quæ morbum præcedit. Hæc cauſſa conſideratur in potentia, non autem in actu. Nec enim eâ poſitâ ponitur morbus; nam tolli poteſt, ita ut non ſequatur morbus, habetque locum in morbis ut loquuntur humoralibus, ſeu ab humore pendentibus. Materia illa eſt πληθώρα & κακοχυμία. quæ diſpoſitiones ſi præcidantur venæ ſectione; aut purgatione; morbus non generabitur. Dicitur ergo hæc cauſſa antecedens; quod morbum antecedat, eumque, ſi excitetur, generare poſſit. At excitata, actuque mor-

morbum efficiens, non amplius vocatur antecedens, ſed conjuncta ſeu continens: nam, ut dixi, conſiſtit in efficiendi potentiâ. Conjuncta ſeu continens (de quâ tam moroſè diſputatur) eſt, quâ poſitâ, ponitur morbus, qua ſublata tollitur. Ut pleuritide poſita, ponitur quoque febris; eadem ablata, aufertur. Eſt ergo hæc cauſſa ſemper immediata, nec in omnibus morbis habet locum. Quis enim febris hecticæ vidit cauſſam continentem? Quando audis, cauſſam continentem poſitam, morbum ponere, & ablatam, eundem tollere; non eſt quod putes, eo modo rem eſſe comparatam, quo inter ſolem, & lucem: hæc enim dictum factum evaneſcit ſublato ſole: quod tamen hic non ſemper obtinet; quanquam interdum contingit; ut in ablatione digiti ſexti, aut calculi: ſed intelligendum eſt, eâ ablatâ, brevi poſt & morbum periturum. Falluntur, qui cauſſam con-

Digitized by Google

continentem morbi cum ejuſdem formâ & eſſentiâ confundunt. nec enim dubium eſt, quin morbus habeat ſuam qualemcunque formam, & eſſentiam, quam diximus eſſe diſpoſitionem non naturalem: at de continente hac diſputatur, & ambigitur. Nam quidam putant, morbos ſimilares eâ deſtitui: at diſſimilares habere: quidam putant eſſe planè commentitiam: nonnulli verò, eſſe in omni morbo. Si ergò, præjudicio amoto, rem examinaris; videbis, cauſſam continentem eſſe & conjunctam. Hæc eadem ſemper eſt interna & immediata, quanquam immediata latius patet: nam gladius eſt immediata cauſſa vulneris; nec tamen eo ablato tollitur vulnus; quod in cauſſa continente fieri amat. Ergò, ut paucis rem complectamur, ita habeto: cacochymia in corpore latens, & non excitata, eſt cauſſa tantum antecedens, excitata vero, eſt conjuncta & con-

& continens. Quæ Argenterius hîc dicit de cauſſarum multitudine, putida nimis ſunt, & indigna Galeni cenſore; qualis, ſi diis placet, videri vult.

Quæ diximus de cauſſis morborum, in abſtracto diximus, non, ut loquuntur, in concreto: proinde methodi ratio exigit, ut videamus in genere res eas, in quibus hujuſmodi cauſſarum genera inveniuntur. Ac primò quidem evidentes cauſſæ, aliæ ſunt neceſſariæ, quibus carere non poſſumus: aliæ fortuitæ & contingentes, ut gladius, lapis. Illæ ſunt res non naturales, quæ ſuâ naturâ nec lædunt, nec juvant: verum earum mediocritas vitam conſervat, immoderatus uſus eandem corrumpit. Suntque numero ſex. 1. *aër.* 2. *cibus, potus.* 3. *retenta, excreta.* 4. *ſomnus, vigilia.* 5. *motus, quies.* 6. *Animi perturbationes.* Harum quædam materiam morborum ſuggerunt; ut alimenta nimis copioſa;

pioſa;& excrementa: ceteræ res non naturales, qualitatem, noſtris corporibus inimicam, imprimunt.

Primò *aër* magnam vim habet in alterando corpore, propter reſpirationem continuam. qui temperatus, purus, ſerenus, vitam conſervat: ſin vero ſit intemperatus, craſſus, peſtilens, eandem corrumpit. Calidus enim nimis, febrim excitat, bilem auget, ſpiritus evocat. Contrariam diſpoſitionem inducit frigidus. nimium ſiccus ſicut putredinem impedit; ita meatus obſtruit, corpuſque exſiccat. Contrarium facit aër humidus: ſin idem corrumpatur & putreſcat, peſtem inducit, alioſque Epidemicos morbos.

Secundò *alimentum* conſiderandum venit. læditur ſanitas, non modo ex cibo, ſed etiam ex modo eum ſumendi. Si enim victus ſit nimis craſſus aut tenuis; oriuntur morbi. Ille calorem extinguit, vires obruit: hic

hic paullatim ſolvit vitam, facultatemque debilem reddit. Ille generat plethoram, & cacochymiam, plurimorum morborum parentes: hic partium ſubſtantiam & ſpiritus conſumit. Nec tantum ciborum conſideranda eſt ſubſtantia, ſed & qualitas; nimirum ſintne calidi, an frigidi; humidi, an ſicci. Exuperans enim qualitas corpus noſtrum afficit. Cibus alieno tempore ſumptus nocet etiam; nam ſi priore non cocto, novus ſumatur, generantur cruditates. Idem de aſſumendi ordine judicandum.

Tertiò conſideranda ſunt *excreta*, & *retenta*. Conſervatur optimè ſanitas, ſi retineantur quæ retineri debent; & contra expellantur, ſuo modo, & tempore, excrementa, quæ retineri non debent. Si ſecus fiat, generatur morbus. Ergò, ſi expellatur ſanguis, qui retineri debet; vires diſſolvuntur. ſin urina, ſudor, fæces & ejuſmodi retineantur, idem

uſu

Digitized by Google

venit. Idem erit judicium de ſemine, & ſanguine menſtruo: nam ſi copia aut malignitate peccent; retineri non debent.

Quartò *ſomni & vigiliarum* habenda eſt ratio. Somnus facit plurimum ad concoctionem alimenti, vigilia ad ejuſdem diſtributionem: ſanitas conſervatur utriuſque uſu temperato. Ergò ſomnus nimius crudos humores accumulat, calorem obruit: vigiliæ vires diſſipant & exhauriunt, corpus exſiccant, bilemque procreant.

Quintò *motus & quies* parum abeunt à naturâ ſomni, & vigiliarum. Motus temperatus ante cibum, calorem excitat, corpus roborat, ſpirituſque alacriores reddit: intemperatus vero, vires exhaurit, humores diſſipat, bilem acuit. contrarium judicium eſto de quiete & otio.

Sextò *pathemata animi* magni ſunt momenti in omnem partem, ſive

ad vitam, ſive ad mortem. Eorum enim vi ſpiritus & concitantur per corpus, & contrahuntur ad cor. Horum eſt diverſa ratio. Nam motus, triſtitia, dolor, cor obruunt: eo enim trahunt ſpiritus & ſanguinem, unde extremorum frigus, partiumque debilitas; quod docet pulſus languidus & debilis, conjunctus interdum cum ſyncope. At gaudium & lætitia diffundunt in extrema membra calorem & ſpiritum: proinde, ſi modum excedant, ſyncopen & interdum mortem inducunt. Ira eſt conjuncta cum motu ſpirituum miſto, quo ſanguis in corde efferveſcit. Ergò ſanitatis ſtudioſus debet modum in hiſce movendis & ſedandis ponere; alioqui fiunt morborum cauſſæ.

Huc etiam revocantur *contagium & venenum*. Illud *eſt ſeminarium vel in aëre ſparſum, vel veſtibus aliisve rebus affixum, à corpore morbido profectum, vim habens ſano corpori morbum impri-*

Digitized by Google

imprimendi; quemadmodum in peſte, & ſcabie, videre eſt. Venenum eſt *cordi humano inimica ſubſtantia, deſtruens primò facultatem vitalem*; ut in morſibus ſerpentum, aliiſque venenis, cernere licet.

CAP. IV.

De Plethora, & Cacochymia.

TRanſeamus ad cauſſas morborum internas. Conſtat humanum corpus continentibus, contentis, & impetum facientibus. Contenta ſunt duûm generum, naturalia, & præter naturam. Illa intelligo, quæ homine ſano, & optimè ſe habente inſunt; qualia ſunt humores alimentarii, (quo pertinent ſemen, lac,) & excrementitii illi, qui ex materiæ neceſſitate conſequuntur. Nullum ſiquidem alimentum tam eſt purum, quin habeat ſua excrementa, ut in conco-

ctionibus videre eſt. talia ſunt bilis utraque, pituita, fæces, urina. Præter naturam ſunt pus, calculus, lumbrici &c. Hæc ſemper noxia ſunt, malæque cauſſæ: at illa ſua natura non ſunt noxia, niſi receſſerint à naturæ legibus, tum demum ſunt morborum cauſſæ. Peccant vero modis duobus; qualitate ſcilicet, & quantitate. Illam voco, quando in humoribus non eſt ea diſpoſitio, quæ ſecundum naturam adeſſe debet; ut ſi humores ſunt juſto calidiores, frigidiores, craſſiores: quo pertinet eorum putredo. Hanc, quando augentur ſupra mediocritatem, aut contra infra eam ſubſiſtunt. Quibus præmiſſis, *Plæthoræ* & *Cacochymiæ* examen ingrediamur.

Eſt autem Plethora *redundantia æqualis, & ſecundum proportionem omnium humorum, aut alioqui ſanguinis ſolius.* Iam quomodo in maſſa ſanguinis dicantur humores contineri, ante

ante dictum eſt. Eſt vero duplex, *ad vaſa & vires.* Plethora ad vaſa eſt, *quando ſanguis ſuâ copiâ, & multitudine vaſa diſtendit, & in tumorem attollit;* habetque ſemper conjunctam pulſus magnitudinem. Ad vires autem eſt, *quando vaſa ſanguine non ita turgent, tanta tamen eſt copia, ut vires, alioqui debiles, graventur* & *fatiſcant, percipiturque ſenſus oneris incumbentis.*

Cacochymia eſt *vitioſi humoris, pituitoſi, bilioſi*, &c. ut in hydrope, ictero videre eſt, *in corpore redundantia.*

Redundat ſanguis, fitque plethora vitio (ut ita dicam) facultatis, & alimenti. Nam facultas valida bonum alimentum, idque copioſe ſumptum, optime coquit, & digerit, ſanguiniſque proventum magnum facit. Huc pertinent reliquarum rerum non naturalium uſus; otium enim & vita hilaris, retentioque conſuetæ evacuationis, multum

etiam faciunt ad ſanguinis generationem. Eodem modo cacochymia fit, vitio vel facultatis, & partium ſanguinem generantium, vel alioqui alimenti, & aliarum rerum non naturalium depravato uſu. Si ergò hepar, ventriculus, cor, juſto magis frigent; generabitur pituita: ſin optimè ſe habent, offeratur autem cibus juſto frigidior, crudior; pituita itidem generabitur. Iam antea dixi, in Phyſicis alterationibus non ſolam eſſe cauſſam efficientem conſiderandam, ſed & materialem: nemo ergo mirabitur ſi homo, alioqui bene valens, ex copioſo uſu ciborum frigidorum, incidat in cacochymiam pituitoſam. Idem judicium eſto cacochymiæ bilioſæ, & melancholiæ. At vero corrumpuntur humores & depravantur ex malignâ viſcerum intemperie: ſicut in elephantiacis videre eſt: vel ex putredine & corruptela; quando ſcilicet humores ob calorem ambientis

bientis corrumpuntur; cauſſa ſiquidem putredinis eſt calor externus, & corporis ambientis, evocans internum rei calorem. Vel alioqui corrumpuntur humores ex vitiato alimento & putrido, ut fungis &c. Interdum ex aëris contagio redundat *flatus*, quando calor debilis vapores frigidos diſcutere nequit, verum attollit, ſed non conſumit; generaturque ex materiâ frigidâ, viſcida, &c.

Inanitio *defectus* eſt *utilis, & alimentarii humoris*; unde corpus extenuatur, ſpiritus diſſolvuntur. fitque à calida & ſicca temperie, rarâ texturá, facultatis retentricis debilitate, immodicis evacuationibus, curis, vigiliis &c. Diximus, in corpore contineri excrementa, toto genere præter naturam, ut calculos, vermes, &c. quæ omnia ſolent morbum excitare, quod omnibus eſt notum.

CAP. V.

De Morborum cauſſis in ſpecie.

QUæ de morborum cauſſis diximus, communia nimis ſunt, & confuſa; quæ magis intelligentur, ſi ad magis particulares morborum cauſſas deſcendamus, doceamuſque morborum ſimilarium, & communium cauſſas. Diximus eſſe quatuor temperamenta ſimplicia, & totidem compoſita; nam temperamentum ad pondus nunc in examen non venit; ergò totidem erunt intemperies; quæ interdum ſolitariæ exiſtunt, interdum cum materiá conjunctæ, quæ quomodo gignantur, jam videamus.

Calida intemperies, vel totius corporis, vel partis alicujus, quinque potiſſimum habet cauſſas. non quaſi hæ omnes ſemper concurrant,

rant, ſed quia una harum cauſſa eſt ſufficiens ad temperamentum evertendum. Sunt autem hæ, 1. *contactus rei calidæ*, 2. *motus nimius*. 3. *putredo* 4. *obſtructio*. 5. *aſſumpta*.

Ac *primò* quidem res calida vicina aſſidue afficiens corpus, calorem inducit; ut aër ſole calefactus, mora in balneo. Neque tantum cauſſæ externæ inducunt intemperiem, ſed una pars calida ſæpe agit in aliam; ut in febribus natis ex inflammatione liquet; niſi forſan hujuſmodi revocare velis ad partium putredinem. Utut ſit, conſtat unam partem calidam agere in aliam ſibi vicinam.

Secundò motus calorem auget. Nomine *motus* non tantum intelliguntur exercitia, & labores corporum; ſed & animi curæ & ſolicitudines, ira. Motus localis per ſe non terminatur ad calorem; proinde non producit eum per ſe, ſed per accidens, quatenus excitat ſpiritus

 ſopi-

ſopitos, eoſque per corpus fundit; ex quorum appulſu vicinæ partes inflammantur.

Tertiò Putredo inducit intemperiem calidam, quatenus calor externus internum rei intendit & auget. Hoc modo excitantur febres putridæ. Quid? quod ſeptica medicamenta putredinem parti accerſant.

Quartò Obſtructio partium parit calorem non naturalem; ſed per accidens. Pori enim obſtructi intus cohibent calidas exſpirationes, & fuligines; unde partium & humorum calor intenditur.

Poſtremò aſſumpta, hoc eſt alimenta & medicamenta calida, idem efficiunt; ut in vino & aromatibus, videre eſt. Idem etiam fit à multis cibis.

Frigida intemperies per ſe inducitur à re frigida; per accidens autem, à calidâ. Ac primò quidem contactus rei frigidæ, ut nivis, glaciei,

per

Digitized by Google

per ſe refrigerant. Idem de alimentis frigidis judicium eſto. Idem efficiunt inedia, evacuationes immodicæ: illa ſiquidem caloris pabulum ſubtrahit, hæ ſpiritus diſſipant. Quomodo & rara corporis textura frigus inducit. Motus item immodicus, idem eodem modo efficit. Otium nimium & ſomnus calorem torpidum & debilem efficiunt, cui ſuccedit frigus.

Intemperies ſicca inducitur ab admotis rebus ſiccis; aëre ſicco, balneis aluminoſis; ab aſſumptis tum medicamentis, tum alimentis ſiccis. Per accidens exſiccant corpus, quæcunque humores evacuant utiles; ut nimia venus, ſanguinis profuſio, & cetera hujuſmodi, ut curæ, ſolicitudines &c.

Intemperies humida fit ex aëre humido balneo dulci, & aliis corpori admotis. aſſumpta item alimenta & medicamenta humida idem præſtant; retentio item humorum,

 ocium,

Digitized by Google

ocium, ſomnus, &c.

Compoſitæ diſcraſiæ compoſitas habent cauſſas; quas, cum ex ſuperioribus facilè intelligere poſſit lector, tradere ſupervacuum eſt.

Intemperies compoſitæ à materia pendentes (nam ſimplices tantum tradidimus) cauſſam habent humorem in corpore redundantem. Hic ſi parti impactus eam diſtendat, generatur tumor. Hujus cauſſa eſt tum humorum congeſtio, tum fluxio eorundem. Cum pars quæpiam alimentum non ritè digerit, aut excrementa foras pellit, congeritur in parte humor, tumoris cauſſa. Fluxio humoris, tumorem facientis, eſt ſemper ab unâ parte in aliam; quando ſcilicet pars, irritata copia vel malignitate humorum, eos in aliam propellit; quemadmodum hepar ad inguina, cor ad alas, cerebrum ad aures.

Ad fluxionem intelligendam quatuor examinanda veniunt. 1 *pars*

mandans

mandans ſive fons fluxionis. 2. pars recipiens. 3. humor qui mittitur & movetur. 4. via per quam fit motio.

Ergo 1. pars, (ut à primo incipiamus) ſi humorum copia aut malignitate irritetur, eos aliò amandat. hoc modo partes nobiliores, & validiores, ad ignobiles & debiles excrementa mittunt. 2. Pars recipiens eſt debilis, non potens reſiſtere influxui humorum. ad quod facit ejus laxitas, & ſitus declivis. Huc revocant quidam dolorem; nam dolor & calor vulgò trahere creduntur; quod tamen non facit per ſe; ſed irritando tantum aliorum membrorum facultatem expultricem. 3. Materia quæ mittitur, non debet eſſe craſſa, ſed tenuis; craſſa enim non facile movetur. 4. Via eſt conſideranda; hoc eſt, vaſa, per quæ movetur humor, debent eſſe laxa, non anguſta. Ex quibus patet humorem parti impactum (niſi inſenſibiliter tranſpiret) neceſſariò corrumpi

rumpi & putreſcere impedita enim tranſpiratione, degenerat à ſuâ naturâ ejuſque calor intenditur.

Tumor, pro humoris varietate, multiplex eſt; nimirum ſanguineus, pituitoſus, melancholicus, biliosſus. *Phlegmone* enim eſt tumor ex ſanguine ſincero, rubens, renitens cum dolore. *Oedema* eſt tumor ex pituitâ, frigidus, mollis, doloris expers, laxus. Quod eſt in parte, eſt œdema; in toto vero corpore, anaſarca. *Eryſipelas* fit ex bile flavâ ſincerâ, adjunctum habens ardorem, doloremque pungentem. *Scyrrhus* eſt tumor ex ſucco melancholico ſincero, durus tamen & doloris expers. Mixti humores mixtos etiam faciunt tumores.

Et hæc quidem tumorum nomina generalia & communia ſunt, ceterum in hac, aut illa parte, aliter nominantur. Tumor ſanguineus, ſeu phlegmone pleuræ, pleuritis dicitur; meningum cerebri, phrenitis; ejuſ-

Digitized by Google

ejuſdem œdema lethargus, & ita deinceps. Atque hæc hactenus; tranſeamus ad cauſſas morborum organicorum.

Occurrit primùm mala conformatio. Quæ eſt multiplex, ut conſtabit. Vitiata figura multas habet cauſſas. Nam & fit à facultate plaſticâ debili, aut interpellatâ à phantaſiâ. Fit etiam vitio ſeminis & ſanguinis menſtrui. Nonnunquam obſtetricis vitio, cum parit mater. Idem faciunt cauſſæ externæ in infantibus, & nuper natis. Ad conformationem pertinet quoque commoda partium ſuperficies, ut habeat nimirum aſperitatem & lævitatem actionibus convenientem. Omnis ergò materia acris exaſperat partem, ut in catarrho videre eſt. Lævitas eſt, cum ſuperficies nimium æquatur. quod à lentis, & pinguibus humoribus fieri ſolet. Meatus vitia ſunt, dilatatio & anguſtia. Illa fit ab emollientibus alimentis:

tis: interdum etiam ab acribus & detergentibus. Sanguis ex venis effluit duobus modis. Primò per ἀναστόμωσιν, quando materia acris, aut alia quæpiam, venam aperit. Secundò per διαπήδησιν, cum humor tenuior factus tranſcolatur per poros laxiores redditos. Quod ad vaſorum anguſtiam; ea plures habet cauſſas. Medicamenta & alimenta adſtringentia ea contrahunt. Idem fit ſi evacuetur humor contentus; tum enim coincidunt latera quaſi venarum. Quid? quod tumor præter naturam, lapis, humor viſcidus, idem faciant.

Morborum organicorum ſecundum genus eſt in magnitudine, quæ præter naturam augetur, vel minuitur. Si augeatur magnitudo ex rebus naturalibus, ita ut figura conveniens ſervetur; ſignum eſt vires eſſe robuſtas, eſſeque copiam humoris alimentarii. At ſi aucta ſit ex rebus præter naturam, ſicut in tumoribus,

de

Digitized by Google

de quibus dixi; eadem cauſſa erit, quæ ipſorum tumorum. Interdum ruptis vinculis, pars in partem prolabitur; ut in enterocele; ubi concurrunt, morbus in magnitudine, & ſitu. Si enim conſideres partem tumidam, morbus eſt magnitudinis; ſi partem delapſam à ſuo loco, morbus eſt in ſitu. Minuitur juſta magnitudo, vel defectu alimenti, vel ob debilitatem facultatum, vel denique à cauſsâ externâ, ferro, igne &c.

Morbi in numero ſunt duplices; vel enim redundat pars, vel deficit. Redundantia interdum eſt rei præter naturam, ut polypus in naſo, calculus in renibus. Illius cauſſa eſt copia materiæ utilis, cum facultatis robore. Hujus cauſſa, eſt excrementorum abundantia. Quodſi quis ab ortu habeat partem naturalem redundantem, ut ſextum digitum; cauſſa eſt facultatis robur; magis autem materiæ utilis copia.

Sin

Sin ab ortu deſit membrum, aut ejus particula; contrariæ cauſſæ talem morbum inducent; nimirum debilitas facultatis, defectus materiæ utilis, unde partes generantur. Sed ſi poſt ortum hoc accidat; cauſſæ erunt variæ; ſectio, uſtio, roſio &c. Poſtremò ſi partes eæ uniantur, quæ conjungi debent, aut contra, ſicut in vitiato ſitu contingit; oritur morbus organicus. Iam pars deſerit locum naturalem, ob vinculorum ruptionem, laxationem &c. ut in procidentiâ uteri, aut ſphincteris videre eſt. Idem in articulorum luxatione contingit. Sæpè vulnera, ulcera, & hujuſmodi faciunt coaleſcere, quæ coaleſcere non debent.

Ultimum morborum genus eſt ſolutio continui; quæ fit interdum à materia erodente, aut alioqui diſtendente: interdum ab aliqua re incidente, & frangente.

Quod ad cauſſas facientes differentias

rentias morborum accidentales; eæ faciles ſunt. Nam morbus magnus vel parvus talem ſupponunt cauſſam. Item brevis, longus, ſupponunt robur virium, copiam materiæ, ejusque acrimoniam, aut contra &c. Idem judicium eſto de morbis malignis. tantum obſerva, particulares & ſporadicos morbos habere particulares cauſſas: communes autem, & epidemicos, habere etiam communem cauſſam, ut aërem, cibum corruptos. Qui cum ſint neceſſarii; fit ut tales morbi indifferenter pueros, ſenes, viros & fœminas invadant.

CAP. VI.

De Symptomatis.

TRia in corpore eſſe præter naturam, morbum, cauſſam, & ſymptoma, dudum diximus. Cauſſa morbum antecedit; eundem ſequitur

tur ſymptoma, eo modo, quo umbra corpus. Alio nomine ἐπιγέννημα nominatur; quaſi dicas, quidpiam morbo ſuperveniens. Eſt autem, *affectus* (propter vocabulorum inopiam dicitur) *morbum conſequens, eo modo quo umbra corpus*. Quod non eſt ita accipiendum, quaſi ſublato morbo ſtatim evaneſcat ſymptoma, (quanquam interdum hoc fiat,) ſed quod non diu perſeveret, ſublato morbo. Diſtinguendum eſt inter ſymptomata, & naturæ opera; inter ſe admodum ſimilia. Si quis enim, alioqui bene valens, ſponte liberaliter purgetur, aut alioqui purgetur à medicamento, actiones hæ ſunt naturæ, non ſymptomata: quia morbum non conſequuntur. Hic porro diſtinguendum inter ſymptomata, & naturalem facultatis impotentiam. Si quis enim, ex liberaliori uſu porrorum & cæparum, magnam copiam bilis non naturalis generet, non eſt ſymptoma, ſed naturalis impo-

impotentia: nec enim facultas, alioqui valida, bonum ſuccum ex hujuſmodi herbis generabit. Ita ſi lapillos non coquat; non eſt ſymptoma, ſed impotentia naturalis; nec enim coctionis ullo modo ſunt capaces. Ita ſi infans nuper natus, non incedat, aut oculus, bene alioqui valens, non videat per parietem; hæc & hujuſmodi ſunt impotentiæ naturales. Quod cum non ſatis obſervaſſet Vega; valde meo quidem judicio erravit.

Symptoma omne ſequitur morbum; ſive is primariò partem afficiat, ſive per conſenſum; ſive immediatè, ſive mediante alio ſymptomate morbum ſequatur. Nihil tamen impedit, quin ſymptoma ſit alterius morbi cauſſa; ut pituita conſequens, refrigeratum cerebrum, eſt cauſſa obſtructionis in pulmone. Fortaſſe concurrunt morbus & ſymptoma; ut flavus oculi color ſymptoma eſt oculi; idem tamen re-

ſpectu

ſpectu viſionis eſt morbus. Idem judicium de febribus ſymptomaticis.

Symptomata omnia revocantur ad tria capita; quorum primum eſt *actio læſa*; ſecundum eſt *excrementorum, aut alioqui contentorum vitium*: tertium eſt *qualitas aliqua in corpore mutata*; ut color: de quibus ordine agendum.

Ac primum genus eſt *actionis læſæ*. Diximus jam, actionem omnem eſſe aut vitalem, aut naturalem, aut animalem; ex qua differentia ſymptomata diſtinguuntur. Alia enim ſunt facultatis naturalis, ut cruditas: alia vitalis, ut ſyncope: alia animalis, ut ſurditas. Sin modum lædendi, aut actionem vitandi, ſpectes; ſingulæ actiones tripliciter læduntur. Vitiatur actio, vel quia non fit, ut in ſurditate; vel quia diminutè, ut in tremore; vel denique depravatè, ut in convulſione; actio enim eſt vehementior, quam naturæ convenit.

nit. Huc revocatur actio, quæ debitum tempus anticipat; ut in ſtranguria videre eſt. Unde nullo negotio actionis læſæ ſymptomata colliguntur. Ac primùm abolita functio omnium actionum animalium, eſt apoplexia; abolita cogitatio, eſt extrema fatuitas; diminuta, ſtultitia: depravata, delirium. Idem de ſenſu communi, quò pertinent ſomnus & vigilia, judicandum eſt: nam carus, lethargus, auferunt omnem vigiliam; diminuitur in comate; in pervigilio depravatur. Idem judicium eſto de actionibus ſenſuum externorum. Ita membri alicujus motus voluntarius abolitus, eſt paralyſis: diminutus, eſt ſtupor. depravatus, convulſio. Idem judicium eſto functionis vitalis. Facultatis naturalis ſymptomata ſunt multiplicia: ſingulæ enim partes attrahunt, retinent, concoquunt, expellunt. Unaquæque harum actionum tribus modis læditur: aut enim

eſt abo-

eſt abolita, aut diminuta, aut depravata. Ac proinde hujus facultatis duodecim ſunt ſymptomata: quælibet enim pars ſimilaris, quatenus nutritur, habet quatuor facultates; quarum actiones tribus modis lædi poſſunt. Verum partes illæ, quæ miniſtrant aliis, & funguntur publico quaſi munere, ut ventriculus & hepar, habent iſta ſymptomata duplicata; ut in ventriculo & hepate videre eſt. Nam ventriculus non tantum reſpectu alimenti, quod ſibi privatim attrahit, ſed etiam chyli, malè attrahit; retinet, concoquit, expellit. Nec hoc tantum, ſed idem ſentit; reſpectu cujus tria oriuntur alia ſymptomata, adeò ut habeat viginti ſeptem. Reliquæ partes, quæ ſibi ſerviunt reſpectu alimenti, duodecim habebunt ſymptomata. Sin etiam ſentiant, ut membrana; tria alia. Sin eædem moveantur, ut muſculus; reſpectu motus tria nova habebunt ſymptomata.

mata. unde hujuſmodi partes octodecim habent. At oculus, exempli cauſſà, videt. quæ actio cum lædi poſſit, & quidem tribus modis, emergunt tria alia ſymptomata. habebit ergò unum & viginti. duodecim, quà nutritur: quà ſenſum tactus, habet tria: quà movetur, totidem: quà videt, totidem etiam. Porrò, quæ de affixione alimenti, ejuſdemque appetitione, adduntur à Valeſio ſymptomata, huc ſcitè revocantur: nam appetitio ad attractionem pertinet, affixio ad nutritionem. Nec enim verum eſt, affixionem nullius facultatis functionem eſſe. Huc porrò vitia facultatis generatricis & auctricis ſunt revocanda. Nempe & hæ facultates ſua habent ſymptomata.

Secundum genus ſymptomatum eſt qualitas ſenſibilis, habitui corporis inhærens. quę interdum actionem lædit, ut tinnitus aurium; interdum non lædit, ut ſimplex ru-

tis: interdum etiam ab acribus & detergentibus. Sanguis ex venis effluit duobus modis. Primò per ἀναστόμωσιν, quando materia acris, aut alia quæpiam, venam aperit. Secundò per διαπήδησιν, cum humor tenuior factus tranſcolatur per poros laxiores redditos. Quod ad vaſorum anguſtiam; ea plures habet cauſſas. Medicamenta & alimenta adſtringentia ea contrahunt. Idem fit ſi evacuetur humor contentus; tum enim coincidunt latera quaſi venarum. Quid? quod tumor præter naturam, lapis, humor viſcidus, idem faciant.

Morborum organicorum ſecundum genus eſt in magnitudine, quæ præter naturam augetur, vel minuitur. Si augeatur magnitudo ex rebus naturalibus, ita ut figura conveniens ſervetur; ſignum eſt vires eſſe robuſtas, eſſeque copiam humoris alimentarii. At ſi aucta ſit ex rebus præter naturam, ſicut in tumoribus,

de

de quibus dixi; eadem cauſſa erit, quæ ipſorum tumorum. Interdum ruptis vinculis, pars in partem prolabitur; ut in enterocele; ubi concurrunt, morbus in magnitudine, & ſitu. Si enim conſideres partem tumidam, morbus eſt magnitudinis; ſi partem delapſam à ſuo loco, morbus eſt in ſitu. Minuitur juſta magnitudo, vel defectu alimenti, vel ob debilitatem facultatum, vel denique à cauſsâ externâ, ferro, igne &c.

Morbi in numero ſunt duplices; vel enim redundat pars, vel deficit. Redundantia interdum eſt rei præter naturam, ut polypus in naſo, calculus in renibus. Illius cauſſa eſt copia materiæ utilis, cum facultatis robore. Hujus cauſſa, eſt excrementorum abundantia. Quodſi quis ab ortu habeat partem naturalem redundantem, ut ſextum digitum; cauſſa eſt facultatis robur; magis autem materiæ utilis copia.

Sin

Sin ab ortu deſit membrum, aut ejus particula; contrariæ cauſſæ talem morbum inducent; nimirum debilitas facultatis, defectus materiæ utilis, unde partes generantur. Sed ſi poſt ortum hoc accidat; cauſſæ erunt variæ; ſectio, uſtio, roſio &c. Poſtremò ſi partes eæ uniantur, quæ conjungi debent, aut contra, ſicut in vitiato ſitu contingit; oritur morbus organicus. Iam pars deſerit locum naturalem, ob vinculorum ruptionem, laxationem &c. ut in procidentiâ uteri, aut ſphincteris videre eſt. Idem in articulorum luxatione contingit. Sæpè vulnera, ulcera, & hujuſmodi faciunt coaleſcere, quæ coaleſcere non debent.

Ultimum morborum genus eſt ſolutio continui; quæ fit interdum à materia erodente, aut alioqui diſtendente: interdum ab aliqua re incidente, & frangente.

Quod ad cauſſas facientes diffe-

rentias

rentias morborum accidentales; eæ faciles ſunt. Nam morbus magnus vel parvus talem ſupponunt cauſſam. Item brevis, longus, ſupponunt robur virium, copiam materiæ, ejusque acrimoniam, aut contra &c. Idem judicium eſto de morbis malignis. tantum obſerva, particulares & ſporadicos morbos habere particulares cauſſas: communes autem, & epidemicos, habere etiam communem cauſſam, ut aëre, cibum corruptos. Qui cum ſint neceſſarii; fit ut tales morbi indifferenter pueros, ſenes, viros & fœminas invadant.

CAP. VI.

De Symptomatis.

TRia in corpore eſſe præter naturam, morbum, cauſſam, & ſymptoma, dudum diximus. Cauſſa morbum antecedit; eundem ſequitur

tur ſymptoma, eo modo, quo umbra corpus. Alio nomine ἐπιγέννημα nominatur; quaſi dicas, quidpiam morbo ſuperveniens. Eſt autem, *affectus* (propter vocabulorum inopiam dicitur) *morbum conſequens, eo modo quo umbra corpus.* Quod non eſt ita accipiendum, quaſi ſublato morbo ſtatim evaneſcat ſymptoma, (quanquam interdum hoc fiat,) ſed quod non diu perſeveret, ſublato morbo. Diſtinguendum eſt inter ſymptomata, & naturæ opera; inter ſe admodum ſimilia. Si quis enim, alioqui bene valens, ſponte liberaliter purgetur, aut alioqui purgetur à medicamento, actiones hæ ſunt naturæ, non ſymptomata: quia morbum non conſequuntur. Hic porro diſtinguendum inter ſymptomata, & naturalem facultatis impotentiam. Si quis enim, ex liberaliori uſu porrorum & cæparum, magnam copiam bilis non naturalis generet, non eſt ſymptoma, ſed naturalis impo-

impotentia: nec enim facultas, alioqui valida, bonum ſuccum ex hujuſmodi herbis generabit. Ita ſi lapillos non coquat; non eſt ſymptoma, ſed impotentia naturalis; nec enim coctionis ullo modo ſunt capaces. Ita ſi infans nuper natus, non incedat, aut oculus, bene alioqui valens, non videat per parietem; hæc & hujuſmodi ſunt impotentiæ naturales. Quod cum non ſatis obſervaſſet Vega; valde meo quidem judicio erravit.

Symptoma omne ſequitur morbum; ſive is primariò partem afficiat, ſive per conſenſum; ſive immediatè, ſive mediante alio ſymptomate morbum ſequatur. Nihil tamen impedit, quin ſymptoma ſit alterius morbi cauſſa; ut pituita conſequens, refrigeratum cerebrum, eſt cauſſa obſtructionis in pulmone. Fortaſſe concurrunt morbus & ſymptoma; ut flavus oculi color ſymptoma eſt oculi; idem tamen reſpectu

ſpectu viſionis eſt morbus. Idem judicium de febribus ſymptomaticis.

Symptomata omnia revocantur ad tria capita; quorum primum eſt *actio læſa*; ſecundum eſt *excrementorum, aut alioqui contentorum vitium*: tertium eſt *qualitas aliqua in corpore mutata*; ut color: de quibus ordine agendum.

Ac primum genus eſt *actionis læſæ*. Diximus jam, actionem omnem eſſe aut vitalem, aut naturalem, aut animalem; ex qua differentia ſymptomata diſtinguuntur. Alia enim ſunt facultatis naturalis, ut cruditas: alia vitalis, ut ſyncope: alia animalis, ut ſurditas. Sin modum lædendi, aut actionem vitandi, ſpectes; ſingulæ actiones tripliciter læduntur. Vitiatur actio, vel quia non fit, ut in ſurditate; vel quia diminutè, ut in tremore; vel denique depravatè, ut in convulſione; actio enim eſt vehementior, quam naturæ convenit.

Digitized by Google

nit. Huc revocatur actio, quæ debitum tempus anticipat; ut in ſtranguria videre eſt. Unde nullo negotio actionis læſæ ſymptomata colliguntur. Ac primùm abolita functio omnium actionum animalium, eſt apoplexia; abolita cogitatio, eſt extrema fatuitas; diminuta, ſtultitia: depravata, delirium. Idem de ſenſu communi, quò pertinent ſomnus & vigilia, judicandum eſt: nam carus, lethargus, auferunt omnem vigiliam; diminuitur in comate; in pervigilio depravatur. Idem judicium eſto de actionibus ſenſuum externorum. Ita membri alicujus motus voluntarius abolitus, eſt paralyſis: diminutus, eſt ſtupor. depravatus, convulſio. Idem judicium eſto functionis vitalis. Facultatis naturalis ſymptomata ſunt multiplicia: ſingulæ enim partes attrahunt, retinent, concoquunt, expellunt. Unaquæque harum actionum tribus modis læditur: aut enim

eſt abo-

Digitized by Google

eſt abolita, aut diminuta, aut depravata. Ac proinde hujus facultatis duodecim ſunt ſymptomata: quælibet enim pars ſimilaris, quatenus nutritur, habet quatuor facultates; quarum actiones tribus modis lædi poſſunt. Verum partes illæ, quæ miniſtrant aliis, & funguntur publico quaſi munere, ut ventriculus & hepar, habent iſta ſymptomata duplicata; ut in ventriculo & hepate videre eſt. Nam ventriculus non tantum reſpectu alimenti, quod ſibi privatim attrahit, ſed etiam chyli, malè attrahit; retinet, concoquit, expellit. Nec hoc tantum, ſed idem ſentit; reſpectu cujus tria oriuntur alia ſymptomata, adeò ut habeat viginti ſeptem. Reliquæ partes, quæ ſibi ſerviunt reſpectu alimenti, duodecim habebunt ſymptomata. Sin etiam ſentiant, ut membrana; tria alia. Sin eædem moveantur, ut muſculus; reſpectu motus tria nova habebunt ſymptomata.

mata.

mata. unde hujuſmodi partes octodecim habent. At oculus, exempli cauſſà, videt. quæ actio cum lædi poſſit, & quidem tribus modis, emergunt tria alia ſymptomata. habebit ergò unum & viginti. duodecim, quà nutritur: quà ſenſum tactus, habet tria: quà movetur, totidem: quà videt, totidem etiam. Porrò, quæ de affixione alimenti, ejuſdemque appetitione, adduntur à Valeſio ſymptomata, huc ſcitè revocantur: nam appetitio ad attractionem pertinet, affixio ad nutritionem. Nec enim verum eſt, affixionem nullius facultatis functionem eſſe. Huc porrò vitia facultatis generatricis & auctricis ſunt revocanda. Nempe & hæ facultates ſua habent ſymptomata.

Secundum genus ſymptomatum eſt qualitas ſenſibilis, habitui corporis inhærens. quę interdum actionem lædit, ut tinnitus aurium; interdum non lædit, ut ſimplex ru-

 bedo

bedo cutis. Idem de reliquis ſenſibus judicandum; niſi quod odores & ſapores excrementorum, ad tertium genus ſint reducendi.

Tertium genus eſt in retentis, aut excretis. Obſerva obiter, ſi excrementum præter naturam in corpore ſano generetur vitio alimenti, ut calculus, lumbricus, non eſt ſymptoma; at ſi hæc ſequantur morbum, tum demum fiunt. Quæ excernuntur, aut retinentur, tribus modis dicuntur: primò ſubſtantia, ſecundò qualitate: tertiò quantitate. Ad ſubſtantiam pertinet expulſio ſanguinis laudabilis; aut retentio inutilis excrementi, ut in obſtructione renum & veſicæ videre eſt. Ad qualitatem pertinent retentorum putredo, calor, acrimonia &c. Ad quantitatem pertinet excretio, aut expulſio immodica excrementorum. exempla ſunt obvia. Huc pertinent menſium retentio, & excretio: item excretionis mo-

dus, & tempus, ſi indebito modo fiat. Hæc vulgatiſſima eſt apud Medicos ſymptomatum diſtinctio. Non nego quin excretorum retentio alio poſſit referri: nos tamen nihil innovabimus; vel eo maximè, quod hæc diviſio maximè inſerviat uſibus medicis. Symptoma omne, aut mediatè aut immediatè à morbo procedit. Vitiatus corporis calor, cauſá agnoſcit humorem exuberantem. hic autem morbum, ſeu facultatem læſam. Nam cauſſæ ſive internæ, ſive externæ, actionem non lædent, niſi imprimendo parti pravam diſpoſitionem. Ergo ſi objectum non ſit facultati proportionatum, fruſtrabitur facultas; ut ſi manu domum non evertero, aut tremuero ſub ingenti onere: quæ tamen actiones non ſunt morbidæ: nec enim membro aliquid eſt præter naturam, ſed ſola naturalis impotentia; ut ante dictum eſt.

Finis Libri ſecundi.

INSTITUTIONES MEDICÆ.

LIBER III.

De Symptomatum cauſſis in ſpecie.

CAPUT I.

De cauſſis ſymptomatum cerebri, &c.

FAcultatis animalis ſedem, & domicilium cerebrum eſſe, jam ante evicimus: ab eo ſiquidem ſenſus & motus univerſo corpori communicantur: tres quoque functiones principes, imaginatio, cogitatio, memoria, in eodem perficiuntur. Supervacaneum quoque eſt, repetere tria illa ad idoneam functionem neceſſaria; ſcilicet temperiem, conformationem, unio-

unionemque partium: quibus vitiatis neceſſe eſt & actionem quoque lædi. His itaque intellectis, ad nobiliſſimæ hujus partis morbos (quorum pleriqne à ſymptomatibus denominantur) tranſeamus; initio facto à *Pherenitide* (deſipientiam ſimplicem, febrium quarundam comitem, hic omitto) *verâ.*

Quæ eſt, *delirium continuum, cum febre acutâ, ortâ ex inflammatione meningum calidâ.* Locus affectus eſt ſubſtantia cerebri, quam meninges afficiunt. Cauſſa eſt intemperies calida, adjunctam habens inflammationem. Cauſſa inflammationis eſt humor tenuis, bilioſus, in parte affectâ putreſcens. Quid? quod, pro varietate materiæ, varietur Phrenitis. alia eſt à ſanguine bilioſo, alia à bile flavâ vel atrâ.

Melancholia eſt *deſipientia ſine febre, cum metu & triſtitiâ abſque evidente cauſſâ, ab intemperie frigidâ, ſiccâ, ex vapore melancholico cerebrum occupante.*

 Cau-

Cauſſam tradunt, intemperiem cerebri frigidam & ſiccam. Signa ex definitione conſtant. Nec enim eſt ſymptoma, ſi quis metuat imminentem ſibi calamitatem: ſicut nec ſi quis triſtetur ob jacturam rerum pretioſarum. Porro metus & triſtitia in corde ſunt affectus appetitus: quia tamen eſt ſympathia appetitui cum facultate cogitante, & imaginante; fit ut imaginationem cerebri ſequatur affectus cordis. Eſt vero triplex. quæ vitio ſolius capitis fit, melancholia per eſſentiam dicitur: at quæ fit ob melancholiam in toto corpore redundantem, aut flatus hypochondriorum, eſt per conſenſum. De hypochondriacâ hac diſputant artis proceres; quod tamen perſequi, inſtituti operis brevitas non permittit. Huc pertinent Lycanthropia, Cynanthropia, &c.

Mania eſt *deſipientia cum excandeſcentiâ ſine febre, à calida cerebri intem-*

perie

perie ſine tumore. Maniaci aliter ſunt affecti quam melancholici, nec metuunt, nec triſtantur; ſed audaces, temerarii, obvia quæq; raptantes.

Vertigo eſt *falſa converſionis imaginatio, una cum læſione voluntarii motus; orta in cerebro ex vitiato motu ſpiritus animalis*. Vitiatur motus ſpirituum à flatulento ſpiritu, comprimente cerebri ventriculos. In vertigine imaginatio non eſt corrupta; nam motum illum falſum eſſe, ſciunt ægri: quia tamen falſa motus ſpecies exhibetur imaginationi, ejus functio depravari quoque creditur. Vapores ſpiritus irritantes & commoventes interdum ſunt in ipſo cerebro, interdum ei aliunde communicantur. Levis vertigo eſt in quâ omnia circumagi tantum videntur. Alia eſt gravior (quæ & σκοτόδινος) in quâ præter circumactionem, oculi tenebris quaſi offunduntur.

De *incubo* nihil dico; videtur enim ſomnium potius eſſe, quam morbus. Hæ ſunt depravatæ principis facultatis actiones.

Amentia ſive fatuitas eſt diminuta ratiocinatio, ſeu rationis defectus, ſine læſione tamen ſenſus, & motus, ab intemperie frigidâ cerebri. Fatui itaque integrum habent ſenſum & motum. quod in Apoplexia non fit.

Oblivio eſt *abolita memoriæ functio à frigidâ cerebri intemperie orta.*

Apoplexia eſt *ſubita privatio omnium functionum animalium, tam ad ſenſum, quam motum* (excepta reſpiratione) *pertinentium, ab anguſtiâ cerebri profecta.* Morbi hujus gravitas æſtimatur ex reſpiratione. Anguſtiam iſtam facit obſtructio; interdum compreſſio cerebri ab inflammatione.

Epilepſia propriè eſt motus depravatus; quia tamen adjunctam habet mentis oblæſionem, huc revocari ſolet. Eſt enim *convulſio totius corporis,*

poris, cum læſione mentis conjuncta, orta à maligna qualitate cerebrum infeſtante. Reſidet quidem malignitas interdum in humore, ſæpiſſimè in vapore; unde frequentia paroxyſmorum; nam humor non tam facile diſcutitur. Ergò differt longè ab Apoplexia, in qua motus abolitus, & facultas oppreſſa; quia Epilepſia eſt motus depravatus: cerebrum enim expellit maleficam cauſſam. Eſt autem alia primaria; in quâ cauſſa non eſt extra cerebrum. Secundaria alia, ſive per conſenſum; in quâ vapor à parte corporis attollitur ad cerebrum. Pars mittens interdum eſt uterus, interdum ventriculi orificium eſt.

Λήθαργος, Latinis veternus, eſt *inexplebile dormiendi deſiderium, conjunctum cum mentis læſione, & febre ſymptomaticâ, ortâ à pituitâ in cerebro putreſcente.* Interdum eſt adjuncta cerebri inflammatio, interdum non.

Carus, eſt *abolita functio animalis facultatis* (integra tamen manente reſpiratione) *ob anguſtiam cerebri, prohibentem exitum ſpiritui animali.* Ideoque hic affectus eſt ſimilis Apoplexiæ: verum reſpiratio eſt illæſa; & puncti, ſentiunt qui eo laborant, nec in paralyſin deſinit.

Catalepſis, eſt *principis functionis abolitio, cum tactus & arbitrarii motus deſtructione*, (ſervata tamen reſpiratione) *in quâ ægri eodem corporis habitu manent, quo erant correpti, orta à materiâ frigidâ, ſiccâ, ſpiritus animales congelante, cerebrumque tendente.* Membra in hoc affectu manent rigida, & immobilia. Phantaſia quoque adeò eſt vitiata; ut punctionem non percipiant ægri.

Cataphora, ſeu coma ſomnolentum, eſt *ſomnus profundus, quem in cerebro excitat humor frigidus*, qui ſi nimium talis fuerit, conjungitur mentis ſtupor; ſin minus, mens non

non læditur, ſed ſenſus tantum communis. In comate vigilante ægri oculos clauſos tenent, nec tamen dormiunt, ſed variis quaſi inſomniis infeſtantur. Humori frigido (nam nunquam abeſt hic) in hoc affectu conjungitur alius calidus, vigilias inducens. Hic affectus interdum habet delirium phreneticum adjunctum, & febrim, ſed ſymptomaticam. Immodico ſomno pervigilium opponitur; in quo tametſi ratio & ſenſus ſibi conſtent; tamen quia longiore tempore, quam vires ferunt, in eo perſeveramus, læditur corpus humanum. Cauſſa eſt humor calidus & acer, impediens collectionem vaporum benignorum, cerebrum irrigantium; ſicut in febre ardente videre eſt.

Huc pertinet Catharrus, *fluxus humoris excrementitii præter naturam, è capite in ſubjectas partes, ex intemperie frigidâ cerebri ortus.* Sicut in omni

fluxione, ita hic quatuor conſiderantur, terminus à quo, ad quem, via, & materia. Terminus à quo interdum eſt cerebrum, ſecundum ventriculos maximè: interdum eſt extra cranium ſub vertice, unde morbi articulares, ſi credimus Fernelio. Terminus ad quem, eſt multiplex; interdum eſt pectus, & tum ſpecialiter vocatur catharrus: interdum naſus, eſtque tum coryza: interdum fauces, diciturque raucedo: interdum nervorum initium, eſtque tum paralyſis, & ita deinceps. Catarrhus pro membro, quod afficit, nomen commutat.

CAP. II.

De cauſſis ſymptomatum externorum ſenſuum.

EXterni ſenſus, cum facultatem membro inſitam, ut volunt Medici, non habeant, ſed à cerebro influen-

influentem; lædi poſſunt, non tantum vitio proprii inſtrumenti, ſed & cerebri, ſeu partis vim & facultatem communicantis, & nervorum, inſtrumentorum illi ſubſervientium. Ad nervos revocantur ſpiritus animales, qui ad motum & ſenſum juxta ſunt neceſſarii. Quando itaque cerebrum graviter affectum eſt, ſpiritus convenienter generare non poteſt, ſine quibus ſenſus eſſe nequit. Quando itaq; ipſum cerebrum malè ſe habet, omnes ſensus actiones habebunt læſas: at ſi cerebrum ejuſque facultates & inſtrumenta rectè ſe habeant, lædi poteſt hic vel ille ſenſus in ſpecie; at cauſſa erit in proprio ſenſus læſi organo.

His præmiſſis initium faciemus à nobiliſſimo ſenſu; viſu nimirum. Hujus membrum, & ſubjectum, eſt oculus, imprimis humor cryſtallinus. reliqua enim, ut antea diximus, uſum præſtant; ſicut in aliis ſenſi-

fluxione, ita hic quatuor conſiderantur, terminus à quo, ad quem, via, & materia. Terminus à quo interdum eſt cerebrum, ſecundum ventriculos maximè: interdum eſt extra cranium ſub vertice, unde morbi articulares, ſi credimus Fernelio. Terminus ad quem, eſt multiplex; interdum eſt pectus, & tum ſpecialiter vocatur catharrus: interdum naſus, eſtque tum coryza: interdum fauces, diciturque raucedo: interdum nervorum initium, eſtque tum paralyſis, & ita deinceps. Catarrhus pro membro, quod afficit, nomen commutat.

Cap. II.

De cauſſis ſymptomatum externorum ſenſuum.

Externi ſenſus, cum facultatem membro inſitam, ut volunt Medici, non habeant, ſed à cerebro influen-

influentem; lædi poſſunt, non tantum vitio proprii inſtrumenti, ſed & cerebri, ſeu partis vim & facultatem communicantis, & nervorum, inſtrumentorum illi ſubſervientium. Ad nervos revocantur ſpiritus animales, qui ad motum & ſenſum juxta ſunt neceſſarii. Quando itaque cerebrum graviter affectum eſt, ſpiritus convenienter generare non poteſt, ſine quibus ſenſus eſſe nequit. Quando itaq; ipſum cerebrum malè ſe habet, omnes ſenſus actiones habebunt læſas: at ſi cerebrum ejuſque facultates & inſtrumenta rectè ſe habeant, lædi poteſt hic vel ille ſenſus in ſpecie; at cauſſa erit in proprio ſenſus læſi organo.

His præmiſſis initium faciemus à nobiliſſimo ſenſu; viſu nimirum. Hujus membrum, & ſubjectum, eſt oculus, imprimis humor cryſtallinus. reliqua enim, ut antea diximus, uſum præſtant; ſicut in aliis ſenſi-

ſenſibus patet. *Cœcitas* multas habet cauſſas. Nam, ut nihil dicam de ipſo cerebro; ſi nervi optici ob anguſtiam quampiam ſpiritum non recipiant, aut humor cryſtallinus nimis ſit craſſus, aut tunica cornea ex ſupervacuo humore addenſetur, aut hæ partes vulnerentur; inducetur cœcitas. *Viſus debilis ἀμβλυωπίαι* eſt, ex anguſtiâ nervorum opticorum: ſicut gutta ſerena perfectam eorundem anguſtiam, non admittentem ſpiritum, comitatur. in hoc affectu oculi nullum apparet vitium. *Luſcioſi* proxima vident, remota vero non, ob inopiam ſpirituum. Nam quanquam, qui fluit ſpiritus, clarus & bonus eſt; paucus tamen cum ſit, hujuſmodi affectum inducit. Quod ſi ſpiritus craſſus concurrat cum tunicæ corneæ craſſitie, inducit νυκτάλωπίαν. *Glaucoma* (in quo ægri per nebulam quaſi vident) eſt humoris cryſtallini craſſities. Humor cryſtallinus ſi ſurſum

ſum deorſumque moveatur, generabitur *ſtrabiſmus* ille, quo omnia apparent duplicia. Habet hic humor & alios affectus, communes tamen ſibi cum aliis partibus; quales ſunt, intemperiei omne genus, ſolutio continui quæcunque. Excidit enim de ſede ſuâ, diſſectâ araneâ tunicâ, & in foramine uveæ cum aqueo coincidit. *Suffuſio*, eſt humor aqueus concretus, in humore albugineo viſionem impediens, ſive inter corneam & cryſtallinum humorem. Interdum vapores aliunde ſublati, inſtante criſi, vomitu, aut ſimili evacuatione, mentiuntur ſuffuſionem. Pupillæ nimia laxatio, aut conſtrictio, lædit quoque viſum. Cornea juſto craſſior, aut alioqui alieno colore tincta, viſum lædit. Tingitur autem & craſſeſcit ab affluxu ſupervacui humoris, qui ſæpè puſtulas illic generat. Craſſities inducitur in ſenectute corneæ, eodem modo quo unguibus. qui affectus

fectus *Caligo* dicitur. Ejuſdem ruptio, & continui ſolutio, facit pupillam de loco ſuo excidere. & corneæ conjungitur tunica adnata, cui familiare eſt *pterygium*. Eſt vero excreſcentia membranoſa ejuſdem ex affluxu ſanguinis craſſioris. jam ſi inflammetur adnata, generabitur *Ophthalmia*; cujus eadem eſt, & aliarum inflammationum, cauſſa. *Strabiſmus*, convulſio oculorum, quâ in obliquum, ſive ad latus ita contorquentur, ut non ſit idem aſpectus utriuſque. Hujus cauſſa eadem eſt, quæ & aliorum ſpaſmorum: quanquam interdum & conſuetudo in pueris idem faciat. *Paralyſis oculi* eſt ejuſdem generis cum aliis reſolutionibus, de quibus alibi. Idem de *Atrophiâ* judicandum. Ἐπιφορὰ eſt defluxus præter naturam humoris (calidi, acris, ſalſi, interdum frigidi) è capite in oculos. Caruncula in majore angulo ſi minuatur, oritur ῥυάς: ſi augetur, eſt
ἐγκανθίς.

ἔγκανθις. Αἰγίλωψ eſt inflammatio inter majorem oculi angulum & nares: cujus eædem ſunt cauſſæ, quæ & aliarum inflammationum.

Ad oculum palpebra quoque pertinet; cujus tumores præter naturam maximè conſiderantur *hordeolum*, & *grando*. Illud eſt tuberculum in abſceſſum degenerans. Hæc eſt tuberculum durum mobile. Ἐκτρόπιον palpebræ inverſio eſt, facta interdum à cicatrice, interdum à carneâ excreſcentiâ.

Atq; hæc de præcipuis oculorum affectibus. progrediamur ad *auditum*. qui eodem modo læditur, quo viſus.

Surditas oritur vitio cerebri; vel nervi quinti paris, interdum ob ſpirituum impuritatem, & organi diſpoſitionem malam. Ac proinde humor omnis meatum auditorium diſtendens aut obturans, ſurditatem parit. Idem faciet & ictus nimium

mium comprimens oſſa. Hic idem affectus contingit ex pravo ſitu triũ auditus oſſiculorum. Huc pertinet & inflammatio. Quæ de ſurditate diximus, intelligenda etiam ſunt de diminutâ auditione; quæ ad illam eſt gradus. *Obauditio*, παράκουσις dicta, eſt actio depravata, qua flatulentus ſpiritus, præter naturam commovens internum aërem, facit auditionem ſine externa cauſſa. Spiritus iſte aut vapor, interdum deſcendit è capite, interdum contra aſcendit, & fertur impulſus ab inferioribus membris; unde per intervalla abit, & redit, variaturque pro materiæ generantis varietate; unde ſibilus, tinnitus, ſtrepitus.

Quod ad tertium ſenſum *olfactum* attinet; variis modis & hic quoque lædi poteſt. Si enim ſpiritus animalis intercludatur; aut proceſſus mammillares intemperie, imprimis frigida, laborant; abolebitur functio. Idem accidet in ulcere

geni-

genito in anteriore cerebri parte. Os quoq; colatorium obſtructum, eundem affectum inducet. Quid? quod nares exulcerari, idem efficient. Ulcus narium graveolens, *ozæna* dicitur; quæ latè ſe diffundere ſolet. Ulceribus neglectis caro adcreſcit; quæ ſi longa ſit, *polypus* à coloris varietate dicitur. ingens malum, & quod in cancrum deſinere ſolet. Putrida ulcera narium, & fædi vicinarum partium odores, olfactum depravare ſolent.

Perit & minuitur *guſtus*, non tantum vitio cerebri, & nervorum; ſed etiam ipſius linguæ; quod ejuſdem paralyſis docet. Verum ſi lingua imbuatur vitioſo aliquo humore, ut bile, quod in febribus fieri amat; depravatur guſtus: omnia, etiam dulcia, judicabit eſſe amara.

CAP. III.

CAP. III.

De Tactus ſymptomatibus.

VEniamus ad tactum. cujus ſymptomata, dolor & voluptas, per omnem medicinam magni ſunt momenti. Omnis in capite diſpoſitio, deſcenſum ſpirituum impediens, tactum aufert, non tantum ſenſum, ſed & motum; ut in Apoplexia videre eſt. Abolitus in membro tactus, aut etiam diminutus, caret nomine; excepto ſi in dente fiat; tumque vocatur *hæmodia*; quam ſucci acidi, interdum etiam acres, efficere ſolent. Aboletur quoque aut minuitur, vitio non ſolùm cerebri, ejuſque inſtrumentorum inſervientium, ſed & ipſius partis & inſtrumenti; ut in gangræna videre eſt. Interdum idem nervus, ſenſus motuſque eſt inſtrumentũ. in quo tamen aboleri poteſt motus, ſervato ſenſu; ſed nunquam con-

contra: quia major ſpirituum copia requiritur ad motũ, quam ſenſum. Verum ſi alius nervus inſerviat ſenſui, alius motui; tum poteſt manere motus, ſublato ſenſu, & contra.

Huc pertinet dolor, & voluptas, quæ, ut intelligantur, diſtingui debet dolor animi à corporis dolore, de quo agimus. Illum voco motum ſolius cordis triſtem, ex mali perceptione, ſine corporis læſione. Quemadmodum ſi quis doleat mortem patris, aut alioqui triſtetur propter jacturam bonorum. ubi tamen corpori nihil accedit, nec decedit. & hic dolor non eſt cognitio. idem de voluptate judicandum. Verum quidem eſt, corporis dolorem trahere ſecum & animi, ut in vulneratis videre eſt; ſed non contra; niſi forſan quis ex animi ægritudine incidat in morbum, quem comitatur dolor.

Dolor hujus loci proprius, *eſt tactus depravatus, ſeu triſtis ſenſatio* (cognitio nimirum) *partium nervoſarum,*

rum,(oſſa enim & hujuſmodi partes terreſtres omni ſenſu carent)*orta ex repentinâ alteratione, aut continui ſolutione*. Objectum tactus debet eſſe illi proportionatum. Si ergò nimium ſit vehemens, ſubitò & vehementer alterabit ſenſum iſtum; ut in perfuſione manus ab aqua calidiſſima videre eſt. Quia vero frigus & calor efficaces ſunt qualitates, ſoli poſſunt dolorem inferre. ſiccitas & humiditas nequaquam; quia harum actio eſt ignava: niſi humiditas adjunctam habeat materiam diſtendentẽ, calidam, frigidam; ubi dolor non excitatur per ſe ab humiditate. Scio quoſdam arbitrari & ſiccitatem inducere dolorem; verum intelligunt ſiccitatem illam, quę calorem ſequitur; ut in uſtione, cui ineſſe volunt ſenſum & caloris, & ſiccitatis. Ergò alteratio ſola, vitiando temperiem, efficit dolorem. ſi enim hoc faceret ſolvendo continuum, quî fit ſolutionem iſtam à nobis non percipi?

Dicunt

Dicunt, ſolutionem continui non eſſe hic manifeſtam. credo admodum: ſed cum ſit doloris cauſſa, hoc eſt, efficiat triſtem ſenſationem; debebat tanquam objectum à nobis cognoſci. Iam vero ſi dolor fieret à tali ſolutione partium, debebat medicamentis unientibus & glutinantibus curari; quod tamẽ neutiquam fit, ſed curatur contrariâ alteratione. Dolorem quoque facit continui ſolutio manifeſta; quemadmodum in vulneribus videre eſt.

Voluptas, eſt *convenientis objecti perceptio.* quæ pro natura partium ſentientium, & ſpirituum copia, major & minor eſſe ſolet; ut cernere licet in partibus genitalibus, vola manus, ventriculi ore; cujus dolores naturales (nec enim omnes præter naturam) ſunt fames, & ſitis.

Tactus fundamentum eſt, ſicut vitæ, ita aliorum ſenſuum. proinde dolent hi propter læſum tactum. Verũ an inſit illis dolor, & voluptas, in pro-

in propriis functionibus, auditione, viſione; dubitari poteſt. Sane in guſtu & olfactu videre eſt hujuſmodi dolorem: gravis enim odoris perceptio eſt triſtis, ſicut viſio rei parum convenientis: hujuſmodi tamen actiones non ſunt ſymptomata; quia non oriuntur à diſpoſitione præter naturam partem lædente. Intemperies calida & frigida ſolæ dolorem faciunt; ſed ſine ullâ tenſione, aut gravitate. aliter ſe res habet ubi materia eſt conjuncta. Huc pertinent omnium partium dolores, qui eodem ſemper modo fiunt; à ſolutione nimirum continui, vel intemperie, quæ raró ſola perſiſtit ſine materiæ affluxu; ut in aurium dolore, ὠταλγία dicto, patet, quem ſanguis tenuis bilioſus plerunque concitat. Eadem dentium ratio. nam quanquam dentibus nullus inſit ſenſus; (quicquid reclamet Trallianus) eorum tamen radicibus inſerti ſunt nervuli, quos calidus humor,

aut

aut alioqui aër, irritare ſolet. Non nego, quin frigida intemperies ſola, eundem dolorem paritura ſit; verum ſæpiſſimè adjunctum habet ſimilem humorem.

Huc pertinet *Arthritis*, articulorum dolor, per intervalla affligens ex humoris defluxu. Articuli ſecundum omnes partes non dolent, ſed partes ſenſiles nervoſas; tendines nimirum muſculorum, membranas, cutem: ligamenta enim, cartilagines, & oſſa, ſenſu deſtituuntur. Humor itaque deſcendens, prædictas partes divellit, & diſtendit. Jam vero antea monuimus, in omni fluxione humorum quatuor eſſe conſideranda, terminum à quo, & ad quem, viam & materiam. Terminus ad quem eſt articulus affectus; qui ſi ſit manus, vocatur *χειράγρα*; (Arthritis enim eſt communis) ſin pedis, *ποδάγρα*; ſin genu, *γονάγρα*; ſin coxendicis, *ἰσχιὰς* vocatur; reliquorum carent proprio nomine.

 Iſtæ

Iſtæ partes debiles & raræ promptiſſimè materiam delatam recipiunt. Debilitantur ſæpe vitio parentum, (nam morbus eſt hæreditarius) ſæpè pravus victus eundem affectum inducit. De termino à quo, ſeu parte mandante, lis non contemnenda exiſtit inter Medicos. Quidam exiſtimant, eſſe pericranium; alii vero, non hanc ſolam partem eſſe originem; ſed & alias præterea; ut uterum, hepar, caput. Materia dolorem efficiens ab iis, qui volunt originem eſſe pericranium, eſt pituitoſus & ſeroſus humor. alii aliter philoſophantur. Nam calor, rubor, dolor, febris, aliaque ſymptomata potius indicant bilem, aut ſanguinem. Ergò, aiunt omne genus humoris, hunc affectum generare poteſt; quanquam rarò ſimplex aliquis fluat, via, per quam eſt ſpatium inter carnem & cutem; vel alioqui ipſæ membranæ, vaſa. Quando ergò partes mandantes

tes

Digitized by Google

tes irritantur, deponunt ſua excrementa in ſubjectos articulos, ex quibus generatur atrociſſimus iſte dolor. Atque hæc de dolore, quantum licuit, breviter perſtrinximus; nam alios dolores alibi commodius pertractabimus.

Cap. IV.

De Motus ſymptomatibus, eorumque cauſſis.

NOn agimus hic de omni motu, ſed arbitrario, qui perficitur miniſterio muſculorum: nam motus inſitus partibus, quo convenientia attrahuntur, & ſuperflua expelluntur, non eſt hujus loci. Definivimus jam ante, nullum motum aut ſenſum fieri poſſe, ſine ſubſidio ſpirituum animaliũ, & nervorum. Symptomata ergo motus, non tantum partis affectæ ſequuntur diſpoſitionem, ſed & ipſius capitis, & nervorum.

Digitized by Google

rum. Motus, ſicut & aliæ functiones, tribus modis læditur. vel enim aboletur, vel depravatur, vel minuitur; de quibus breviter. Eſt autem *Paralyſis, abolita functio voluntarii motus in membris, manente facultate principe integrâ* (propter apoplexiam) *producta ab humore nervos obſtruente, vel ob ipſum membrum pravè diſpoſitum.* Poſttema verba addo, ut innuam paralyſin non ſemper habere cauſſam caput, aut ſpinalem medullam. Reſolutio ani fit à ſolâ loci illius intemperie ſine damno ſpinæ, aut capitis: quia tamen plerunq; mali cauſſa eſt in partibus jam dictis, hinc eſt, quod illæ ſolæ conſiderentur. Ergò ſi origo nervorum obſtruatur, impediaturq; influxus animalis ſpiritus in muſculos & nervos, orietur affectus hic. Neque hoc tantum; ſed ſi ſpiritus in magnis cerebri vulneribus diſſipentur, idem eveniet. Verũ quia omnes ſub facie partes, exceptis viſceribus, & vocis organis, nervos à ſpina accipiunt;

piunt; ſit, ut illic princeps cauſſa exiſtat. Cerebro itaque affecto ſecundum dextram aut ſiniſtram partem, non tantum ejuſdem lateris ſequitur reſolutio, ſed & ejuſdem in facie partis, cum vocis impedimento. Sin obſtructio principium ſpinæ occupet; omnes ſub facie partes reſolventur. Sin ejus dimidia pars ita ſit affecta, dextra nimirum aut ſiniſtra; dimidia corporis pars reſolvetur. Verum ſolius manus paralyſis, aut pedis, exempli cauſſa, ſupponit, eam ſpinæ partem malè eſſe affectam, à quâ nervos accipit.

Stupor gradus eſt ad paralyſin; proinde eædem cauſſæ, differentes tantum ſecundum magis, & minus.

Convulſio, Græcis *σπασμὸς*, eſt depravatus membrorum motus; cujus cauſſa, & modus, in obſcuro latent. Diſtingui ſcio inter motum convulſivum, & ipſam convulſionem. illum volunt à facultate, à materiâ, vel causâ morbificâ irritatâ fieri; quemadmo-

admodum in morbo Herculeo videre licet: hanc, eſſe ſolius morbi opus, non concurrente facultate. Quæ difficulter intelligi poſſunt ſalvis fundamentis antea jactis. Si enim eſt depravatus motus animalis, neceſſe eſt facultatem animæ concurrere. Diximus præterea antea, idem eſſe ſubjectum contrariorum, niſi alterum naturaliter inſit. ſanitas verò & morbus ſunt contraria. idem ergo habebunt ſubjectum; eandemq; facultatem pravè, aut benè afficient. Jam vero, ſi dixeris, convulſionem eſſe opus ſolius morbi, non autem facultatis irritatæ; quomodo idem erit ſubjectum; præſertim cum facultas ſine organo non agat? Quid? ſi propriè loquendum eſt, actiones ſunt organorum, facultatibus informatorum. nam morbus non tam eſt cauſſa actionis, quam vitii in actione. dicere ergò, ſpaſmum fieri à ſolo morbo, non natura, perinde eſt ac ſi dicas, depravatam febricitantium

coctio-

coctionem fieri ab illo gradu caloris qui naturali ſupervenit; non verò naturali, qui præfuit. Quod ridiculum eſt. unicus enim eſt calor; conſtans tamẽ gradibus quibuſdam naturalibus, quibuſdam præter naturã. Eſt autem *Spaſmus*, *depravatus motus* (contractio ſcilicet) *& invitus muſculorum verſus originem*, *ortus ex eorum brevitate*, *inductâ à repletione & inanitione*. Et locus affectus, & cauſſa hujus morbi, adeò controvertuntur à Medicis, ut non immeritò exclamet Averroës lib. 3. Coll. cap. 33. Nam quia convulſio adjunctum habet plerumque delirium, putant nonnulli, locum affectum eſſe ipſum cerebrum. alii contra nituntur, aiuntq; ſolos muſculos eſſe affectam partem; quia eorum actio læditur. Verum de cauſsâ dubitatur. nam muſculorum brevitas ſupponit aliquam in iis cauſsam à quâ generatur; quã Hippocrates dicit eſſe repletionem & inanitionem. Quæ cum ſint diſ-

Digitized by Google

poſitiones contrariæ; non poſſunt eundem affectum producere per ſe; niſi forſan conveniant in uno tertio. ſicut in venenis videre eſt; quorum licet quædam ſint calida, quædam frigida, conveniunt in malignitate. Notum eſt Galeni exemplum chordarum, quæ & à ſiccitate, & humiditate contrahuntur. Sed cauſſa hæc multis diſplicet. nam motus non fit à nervo, ſed à muſculo; nervus autem defert ſpiritum, quem facultatem vocant. nec diſpoſitio ſicca aut humida ſubitò introducitur: nec ſiccitas & humiditas, qualitates paſſivæ, tam validum edunt motum. Conſtat etiam, eas per ſe dolorem non inferre; qui tamen hic ingens eſt. Reſtat ergò, ut dicamus affectum excitari à malignis vaporibus, repletionem corporis, & inanitionem ſequentibus.

Reſpectu partium contractarum dividitur convulſio in univerſalem, & particularem. Illius exemplum eſt

epi-

epilepſia, ἐμπροσθότονος, in quo curvantur muſculi, ut mentum pectus contingat, corpuſque carinam repræſentet: ὀπισθότονος, cum contrahuntur muſculi poſteriores: τέτανος, cum uterque motus concurrit: eſtq; compoſitus: utriusque enim partis muſculi ita contrahuntur, ut corpus maneat rigidū. *Particularis convulſio*, oculorū eſt ſtrabiſmus. oris ab utrâque parte, dicitur ſpaſmus caninus.

Tremor eſt *motus membrorum depravatus, ex contrariis compoſitus, facultatis ſcilicet attollentis, & membrum ſuo pondere deprimentis.* Cauſſa eſt debilitas membrorum, inducta vel oppreſſione virium, vel exſolutione. Tremor hic non eſt morbus, ſi pondus longè ſit ſuprâ vires, ſed potius naturalis impotentia.

Pandiculatio eſt *dilatatio muſculorum irritatorum à vaporibus excrementitiis in carne collectis.*

Oſcitatio eſt *depravatus motus muſculorum in facie, irritatorum ab vapori-*

bus tenuibus intus collectis.

Frigus, horror, & rigor, differunt tantum ſecundum magis, & minus. (In horrore ſola cutis concutitur; in rigore vero muſculi totius corporis vibrantur: irritantur enim à re aliquâ noxia.) De quorum cauſsâ ambigitur. Vulgo creditur eſſe acris materia & pungens, per partes ſenſibiles delata; quod non accipio. Demus quidem hujuſmodi materiam excitare poſſe horrorem momentaneum; quod non nego; ſed, quì poſſint horror, & rigor, qui in febribus ſunt diuturni, à materiâ calidâ excitari, non video. Materia illa acris & vellicans, inducet ne frigus? quomodo unum contrarium aliud generabit? acris enim humor eſt bilioſus & calidus. Repetendum hic ex Phyſiologiâ, calorem, inſitum partibus, non ſufficere functionibus: neceſſe itaque eſt à corde mitti uberiorem calorem per arterias. ergò, ſi vapor aliquis malignus (quod fieri

fieri amat in paroxyſmis febrium intermittentium)cor,fontem caloris, impetat, non poteſt tum calorem per arterias fundere. neceſſe eſt ergò, extrema corporis, & alias partes calore deſtitutas,rigere,& horreſcere.quod eſt evidentiſſimum in naſo, digito, pede, qui primò omnium tentantur. Tam diu autem durat iſte motus depravatus,quamdiu impetitur cor. at ubi liberatum fuerit conſumptis vaporibus, redeunt membra ad priſtinam naturam. ſufficitur enim illis abunde calor. Non itaq; eſt neceſſe calorem recurrere à membris ad cor; ſed contra veriſimilius eſt, cor malè affectum non tranſmittere.

Sternutatio, eſt *vehemens efflatio per nares cum ſono à facultate cerebri, irritatâ à materiâ, vel vapore pungente.* Ad iſtum motum concurrunt muſculi thoracis.

Oſcitatio,pandiculatio, ſternutatio, non ſunt morbi effectus, ſed

naturæ: in ſanis enim eveniunt eodem modo, quo naturalis fęcum aut urinæ excretio. *Laſſitudo* non incommode & huc revocari poteſt; quæ tamen non eſt morbus, ſed diſpoſitio morboſa. Laſſitudo alia eſt *tenſiva*, (non loquor de eâ, quæ exercitium conſequitur) in quâ corpus intenditur: quam humores per muſculos fuſi producunt; eſtque ſignum plethoræ. Alia eſt *ulceroſa*, in quâ ægri punctiones ſentiunt. & ab humoribus excitatur; eſtque cacochymiæ ſignum. Ex hiſce duabus generatur laſſitudo phlegmonides, in qua præterea muſculi quaſi elevantur: in hac ergò ſanguis eſt & pravus, & multus. Huc pertinet ea laſſitudo, quæ contundens dicitur, ὀστοκόπον vocant; in quâ oſſa dolere, & quaſi frangi videntur. Omnibus hiſce laſſitudinibus, eſt communis movendi impotentia, conjuncta cum ſenſus triſtitiâ.

Digitized by Google

CAP. V.

De Symptomatibus vocis, loquelæ, reſpirationis.

AD ſermonem & vocem articulatam formandam, multa concurrunt. Requiritur enim ſpiritus animalis. qui ſi deficiat, (ut in apoplexia & ſyncope videre eſt,) non edetur vox. Idem fit in linguæ paralyſi. Brevitas nimia linguæ idem efficit; ſicut & nimia magnitudo. Huc revocatur linguæ convulſio. Ad effectum producendum perfectum, requiritur concurſus omnium cauſſarum; ad malum verò, unius defectus ſufficit; ſicut hic contingit. Quælibet enim cauſſarum ſupra memoratarum, ſufficiunt voci impediendæ. Hæ eædem cauſſæ, minores tamen efficiunt vocem debilē. Idem fit cum malè eſt partibus miniſtrantibus; ut in polypo, coryza, eroſo palato

lato, videre eſt. Uſus columellæ eſt, non tantũ vocem inſtar plectri muſici, ſed & frigidum aërem temperare. qui impeditur, ſi aut nimis ea ſit magna ab humore diſtendente, & inflammante; aut alioqui parva; quod in lue venereâ contingit.

Angina, eſt *reſpirandi deglutiendique difficultas & impotentia, ex inflammatione muſculorum gutturi faucibuſque miniſtrantium; comitem habens febrem continuam.* Læditur reſpiratio non tantum vitio proprio membrorum, ut in anginâ, ſed per aliarum partiũ conſenſum, ut poſtea conſtabit.

Aſthma, eſt *reſpiratio crebra cum anhelatione & tuſſi ſine febre, orta à pituitâ craſſâ pulmonis bronchios farciente.* idem facit tuberculum.

Quod ſi obſtructio ſit nimia, erit *Orthopnæa*; in qua niſi erecta cervice, reſpirare nequeunt. Quod ſi vires ſint admodum debiles, reſpiratio evadit ſublimis; in quâ per nares ſit exſufflatio. Aufertur reſpiratio in

ἀπνοίᾳ.

ἀπνοίᾳ. quam apoplexia, ſyncope & hyſterica paſſio inferunt, ob cauſſas tamen diverſas. nam in primâ deſideratur ſpiritus animalis; in reliquis vitalis, animalis materia.

Tuſſis, eſt *vehemens efflatio cum ſtrepitu, per guttur erumpens, à facultate expultrice, à cauſſâ morbificâ irritatâ.* Locus affectus eſt pulmo. Cauſſa irritans eſt multiplex fumus, humores acres, viſcidi interdum &c. Humor nimium tenuis non expellitur, quia impulſum thoracis ſubterfugit; nimium craſſus idem facit; arctè enim adhæret pulmonibus. quod ergò expellitur, mediæ debet eſſe conſiſtentiæ.

Verum reſpiratio non læditur tantum vitio pulmonis, ſed & pectoris. Quod quomodo fiat videamus. Ergo ſi pleura inflammetur, impedietur reſpiratio. Inflammatio iſta vocatur *pleuritis*. Eſt vero *lateris dolor punctorius, cum febre acutâ, dyſpnœa, pulſu duro, inæquali, crebro, tuſſi vehementi, ortâ*

ortâ ex inflammatione pleuræ. mediaſtinum inflammari ſolet, ſed rarò. Generatur inflammatio hîc, quemadmodum & in aliis partibus, ex materiâ tranſmiſsâ à parte validâ ad debilem. Materia iſta plerumq; eſt ſanguis bilioſus, rarò pituitoſus aut melancholicus. Idem ſanguis ſi incidat in pulmones, efficiet peripneumoniam, inflammationem pulmonum; cui adjungitur reſpirandi difficultas, gravitas ſine dolore, febris continua, (omnes ſymptomaticæ, quales ſunt, quæ inflammationes partium ſequuntur, continuæ ſunt) tuſſis vehemens, rubor faciei &c. Pulſus hîc non eſt durus, ſed mollis & undoſus.

Empyema, eſt *collectio puris in thoracis capacitate, reſpirandi difficultatem inducens, cum tuſſi, & ſputo purulento, orta ex abſceſſu.* Sequitur peripneumoniam & pleuritidem; ſanguine nimirum in pus converſo, & rupto abſceſſu.

Tabes

Digitized by Google

Tabes eſt *conſumptio totius corporis, cum febre lentâ, impeditâ reſpiratione, tuſſi, ſputo, orta ex pulmonis ulcere.* Pus enim in thorace collectum, ſi intra quadraginta dies non expurgetur, erodit pulmonem, & hanc, de quâ agimus, tabem producit.

Cap. VI.

De Cordis ſymptomatibus & cauſſis.

DIctum eſt non ſemel, caloris domicilium eſſe cor; cui incumbit, generatio, conſervatio, diſtributio caloris ſive ſpiritus vitalis. Quæ functiones, quanquam vivo homine penitus tolli non poſſint, ſenſus tamen judicio videntur aboleri; ut in *Syncope* videre licet. *Eſt* autem, *repentinus virium lapſus* (nam ſenſim omnis magnus morbus vires carpit) *à debilitate facultatis ortus, quæ, ob cauſſam maleficam, ſpiritus non commu-*

Digitized by Google

communicat cæteris partibus. Debilitatis cauſſa eſt multiplex; ſed nulla tam familiaris, quam malignus vapor aſcendens ab utero, ut in paſſione hyſterica; interdum à ventriculo, inprimis ſuperiore orificio, quod eſt acutiſſimi ſenſus. Debilitatur etiam facultas à ſpirituum diſſipatione, ut in immodico gaudio, interdum ſuffocatione, ut in metu, quod tamen raro contingit. Huc pertinent λειποθυμία, λειποψυχία, ἔκλυσις; quæ, aut non differunt, aut ſecundum magis & minus tantum. Motus cordis depravatus, ſeu inordinatus, eſt *palpitatio*, (nam tremor motus arbitrarius impropriè illi tribuitur) quæ eſt *motus cordis depravatus, conſtans dilatatione & conſtrictione, ortus à vapore craſſo, facultatem vitalem irritante*. Motus iſte, ſi multis credimus, arteriis non communicatur. non erit ergò dedepravata pulſatio vera palpitatio, ſed illegitima.

Nullus morbus familiarior eſt cordi,

Digitized by Google

cordi, quam intemperies calida, quã *febrem* vocant. De qua paucis agendum. Quod fiet initio ſumpto à definitione. eſt enim, *intemperies calida cordis, actiones ejus manifeſtè lædens*. Dico *intemperiem*; quia calori cordis naturali adduntur alii gradus præter naturam. unde Galenus vocavit calorem nativum, in igneum converſum. Ridiculum eſt, quod quidam dicunt, febrem eſſe ſolum illum calorem adventitium, & ſuperadditum. Nam revera hic ſolus non manifeſtè læderet actionem, niſi conjungeretur naturali; nec eſſet calida intemperies, ſed potius frigida. jam vero accidentarium eſt, quod calor diffundatur mediante ſpiritu per reliqua membra; nam etiamſi id non fieret, (ut initiis paroxyſmorum) homo tamẽ febricitaret propter ſolam cordis intemperiem. Locus affectus eſt *cor ſecundum ſubſtantiam*; ſpiritus enim & humores cauſſa ſunt potius, quam ſubjectum. Jam, quanquam
alius

alîus partis temperies calidior fiat; non erit prius febris, quam cordi communicetur, ut in Phrenitide, Pleuritide videre eſt. Calor in corde accenſus diffunditur per reliquum corpus, ſi non impediatur. impeditur autem in lypiria, acceſſionibus intermittentium, & epialâ ex parte. Quæcunq; cauſſæ alia membra calefaciunt, eædem & cor accendent. talia ſunt illa quinq; ſupra commemorata, motus, contactus rei calidæ, ſuppreſſio fuliginum, &c.

Febris ſymptomata ſunt pulſus & reſpirationis mutatio, ſitis, vigiliæ, dolor capitis, cibi faſtidium &c.

Dividitur febris in *ſimplicem*, & *compoſitam*. In illa ſimilis eſt caloris forma; in hac non. Diviſio febris ſimplicis in *Ephemeram*, *Synochum*, & *Hecticam*, non tam eſt ſumpta à ſubjecto, quàm cauſſa inflammante, ſi hecticam excipias; nam revera res inanimatæ, ſpiritus & humor, non ſunt ſubjectum. Tres ergò iſtæ ſunt in

Digitized by Google

eâdem cordis ſubſtantiâ, differentes tantum ſecundum calorem, magis aut minus radicatum.

Dividitur febris in *putridam*, & *non putridam*, qualis eſt *nuda diaria*, aut *diaria extenſiva*. *Putrida* eſt *continua*, vel *intermittens*. In illâ humores putreſcunt in vaſis, venis ſcilicet & arteriis; quæ ad infebricitationem non ſolet pervenire. In hac humor eſt extra vaſa; in habitu nimirum corporis, ſi antiquis creditur; aut potius continetur in primâ corporis regione, circa hepar, ventriculum &c. quæ ad infebricitationem ſolet devenire. *Continua putrida* (nam non putrida ad diariam revocatur) eſt duplex. Alia enim eſt, quæ putredinem ſine remiſſione cordi impertit; ut *ſynochus putrida*, & *cauſus*. Aliæ non ſemper putredinem impertiunt, ſed remittunt ſubinde; ut quæ ſimpliciter dicuntur continuæ. quo pertinet tertiana continua. *Intermittens febris*, pro conditione humoris peccantis,

eſt

eſt vel *tertiana*, vel *quotidiana*, vel *quartana.* In primâ, cauſſa eſt bilis; in ſecundâ, pituita; in tertiâ, melancholiâ. In primâ, eſt acceſſio tertio quoque die; in ſecundâ, quotidie fit exacerbatio; in poſtremâ, quarto die. Huc pertinent febres quintanæ, ſextanæ, &c.

Celebris eſt febrium diviſio in *eſſentiales*, & *ſymptomaticas.* In illis ſubſtantia cordis eſt habitualiter, ut ita dicam, malè diſpoſita; proinde ſublatâ cauſsâ conjunctâ perſeverant. In his cor habitualiter non calet: proinde, ſublatâ cauſsâ continente ſeu conjunctâ, dictum factum evaneſcunt; ut in Peripneumoniâ, Pleuritide, videre eſt. Proinde ſi inflammatio alicujus viſceris, ut cerebri, habeat corpus diſpoſitum ad febrim; febris conſequens non eſt ſymptomatica; conſequens nimirum inflammationem: nam etiamſi nulla fuiſſet inflammatio antecedens, genita fuiſſet febris. Sed ſi partibus

tibus optimè diſpoſitis ſuperveniat febris eſt viſceris inflammatione; talis febris eſt ſymptomatica; quæ ſublata cauſſa, dictum factum tollitur. quod genus febris abſolutè non dicebatur morbus à majoribus, ſed febris accidens.

Omnis febris, ex motione cauſſarum morbificarum, dividitur in quatuor tempora; principium, augmentum, ſtatum, declinationem. de quibus ſupra.

Putreſcunt humores in corpore, quomodo & alibi; à calore nimirum ambientis. ambientis nomine intelligendus venit omnis calor, qui parti non eſt naturalis. Quando ergò ſpiracula cutis & pori obſtruuntur, fuligines, intus contentæ, evocant internum partis aut humoris calorem. in quâ evocatione eſſentia putredinis eſt poſita. ſolvitur enim unio humidi cum ſicco. Quod fætor credatur ſignum omnis putredinis; non eſt admittendum. multa enim

pu-

Digitized by Google

putreſcunt ſine fætore; & contra multa fætent ſine putredine; ut in caſtoreo, aſsâ fætidâ, cernere licet. Sicca cordis intemperies ſine calore, eſt *Maraſmus*.

Cap. VII.

De Morbis ventriculi & inteſtinorum.

VEntriculus, corporis culina, non tantum habet functiones ſibi inſervientes; ſed & alias publicas toti corpori miniſtrantes; ut in generatione chyli communis alimenti videre eſt. Eâ de cauſsâ appetitum habet, quem animalem vocant; cujus triſtis ſenſatio eſt fames; ut ante dictum. Conflictatur ſæpe non tantum cum morbis ſimilaribus, ſed & diſſimilaribus; nec non ſolutione continui, morbo communi. Corpus humanum, diſſolutioni obnoxium, eget continuâ inſtauratione per cibum

bum & potum. Stimulus autem appetitus eſt fames & ſitis. hæc in faucibus; illa in ventriculi orificio ſuperiore reſidet. Sublatâ fame, tollitur appetitus, ut poſtea conſtabit: proinde de ſymptomatis appetitum conſequentibus agemus primò. Depravatur tribus modis, ſicut aliæ functiones; nam aboletur, diminuitur, vel depravatur.

Abolita appetentia(ἀνορεξία Græcis) *cibi*, id eſt, calidi, ſicci, eſt ex defectu ſuctionis in orificio ventriculi. Non ſugit autem; quia vis & facultas eſt abolita ab intemperie calidâ; ut in febribus; vel quia cerebrum læſum non impertit ſpiritū animalem; ut in Apoplexiâ, ſimilibuſq; affectib⁹ evidens eſt. Ab his cauſſis, debilioribus tamen, oritur diminuta appetentia.

Contraria ventriculi diſpoſitio, eſt *fames inexpleta*; immodica ſcilicet ciborum appetentia; quam nimia ventriculi ſuctio excitat. Quæcunq; os ventriculi nimium conſtringunt,

& corrugant, appetitum ſtimulant; ut intemperies frigida, quæ raro eſt in ventriculo ſola; ſed ſæpè comitem habet melancholiam, aut pituitam acidam, os ventriculi infeſtantem. Hujus generis eſt *Caninus appetitus*; inexplebilis ciborum appetentia cum vomitu, excitata à materiâ acidâ cardiam oblinente. Βȣ́λιμ☉ eſt inexplebile ciborum deſiderium, ſine vomitu tamen; genitum ab iiſdem cauſſis. Hic in principio appetentia eſt aucta, verum paulatim minuitur.

Depravatur appetentia in *Pica*: quæ eſt alimenti non naturalis (carbonis, calcis) deſiderium. Fit à ſuccis pravis ventriculi tunicis impactis. quanquam in tali affectu non videtur omnino ſana facultas princeps. Morbus familiaris gravidis, tribus potiſſimum menſibus primis: quanquam viri non omnino ab eo ſint liberi, ut in elephantiacis patet.

Appetentia ſitis, eodem modo vitiatur.

Digitized by Google

tiatur. Nam & aboletur, ſi fauces ſint imbutæ pituitâ. ſæpe videas febricitantes non ſitire, ob nullam aliam cauſſam, niſi quod amygdalæ copioſâ pituitâ ſint perfuſæ. Inducetur idem affectus, ſi cerebrum laboret; ſicut ante diximus.

Si faucium humiditas (errant, qui putant, ſitim eſſe in ventriculi orificio) conſumatur ab intemperie calidâ & ſiccâ; inducetur *ſitis inexplebilis*; immodica cupiditas frigidi & humidi, orta à triſti ſuctione faucium, ex defectu propriæ humiditatis.

Ventriculus nunquam cibum concoquet, niſi arctè complectatur. proinde ſi ventriculus cibum non contineat, generantur fluctuationes cum ſonitu, ubi ventriculus cibum à ſe propellit in hanc, aut illam partem. Cauſſa eſt intemperies admodum frigida: nam minus frigida excitat flatum. magnus calor flatuum materiam diſcutit; debilis excitat quidem, ſed non conſumit. Hic ea-

dem functio diminuitur à minoribus cauſſis. Depravata retentio hic non adeò eſt conſpicua; in eâ quædam palpitatio & tremor deprehenditur; ſed affectus rarus eſt.

Ἀπεψία eſt *abolita alimentorum in ventriculo cōcoctio, ab intemperie frigidâ.* Frigidâ dico; nam calida depravat magis, quam abolet. Idem fiet, ſi retentrix vis debilitetur, aut aboleatur; ita ut cibus juſto tempore non contineatur. Quodſi plus cibi potuſque ſumatur, quam natura regere poteſt, idem affectus inducetur. Si cauſſæ memoratæ leviores fuerint, efficient βραδυπεψίαν. in qua cibus nō ſufficienter mutatur. Δυσπεψία eſt depravata concoctio; corruptio nimirum ciborum in alienam ſubſtantiam: nidoroſam ſcilicet, interdum acidam. Nidoroſam efficit intemperies calida; acidam frigida, niſi vitium ſit in alimento.

Chylus concoctus expelli debet. quæ etiam functio tripliciter læditur.

tur. *Abolita & diminuta expulſio* rari ſunt affectus: qui tamen oriuntur ab intemperie frigidâ &c. *Depravata expulſio* familiare ſymptoma, ubi ventriculus expellit, vel quomodo non oportebat, vel quale, vel quantum. Cauſſa eſt facultas irritata. quod quomodo fiat, videamus.

Vomitus alius naturalis. de quo non loquor: nec enim fit à morbo, nec vires dejicit. alius ſymptomaticus, morbi opus: eſtque *depravatus motus ventriculi irritati, quo cibus in ventriculi capacitate contentus manifeſtè & ſenſibiliter expellitur per os.* In hoc affectu orificium ventriculi non eſt temperatum: alioqui non tam facile irritaretur. multum facit ciborum copia, aut aliena qualitas, excrementorum proventus &c. Gradus ad vomitum eſt *nauſea*; habet enim eaſdem cauſſas, ſed leviores: in qua nihil expellitur, adeſt tantum inane vomendi deſiderium & conatus. Huc pertinet morbus, *cholera* dictus:

Digitized by Google

motus depravatus ventriculi expellentis per utrumque os materiam contriſtantem. hæc eſt bilis omne genus in ventriculo ex vitiato alimento genitum. Eſt alia cholera, ſicca ſeu notha. (nam prior eſt humida) in quâ nihil expellitur: acer enim & flatulentus ſpiritus dolorem ventriculi cũ inflammatione excitat.

Singultus perperam ad convulſiones revocatur; eſt enim affectio ventriculi, non muſculi. Eſt vero *depravatus motus cum ſono, à materiâ tunicis ventriculi impacta, & facultatem irritante.* Fibræ hic contrahuntur & tenduntur ad expellendum impedimentum.

Ventriculum excipiunt inteſtina, quæ omni genere morborum infeſtantur, intemperie, vitiatâ compoſitione, & ſolutione continui. Ad vitium compoſitionis pertinent *lumbrici*, tanquam partes quædam adhærentes inteſtinis, unde conſtituunt morbum in numero aucto.

Sunt

Sunt verò animalia toto genere præter naturam, genita in inteſtinis ex putri materiâ, lædentia functiones. Corporis totius ſentina ſunt inteſtina. non ergo mirum excrementa illic congeſta converti in hujuſmodi vermiculos. Idem enim videmus, non tantum in aliis corporis partibus, ſed & in ſterquiliniis, in quibus ex putreſcente materiâ generantur. Nam in ventriculo propter concoctionem, & calorem, generari nequeunt. ſi inveniantur, ab inteſtinis iſthuc repſerunt. Triplex eſt horum genus. Sunt enim quidam rotundi, ἀσκαρίδες dicti, in inteſtino recto geniti. generantur ex pituitâ craſsâ putreſcente. amara & acida, qualia ſunt bilis & melancholia, extinguunt potius, quam generant. De modo generationis, & cauſſa principali, viderint Philoſophi. Porro nullum eſt functionis genus, quod ab lumbricis non lædatur. vitiantur inteſtina ex pravo eorum ſitu; ſi quando

 nimi-

Digitized by Google

nimirum ſuo loco moveantur, deſcendantq; ad ſcrotum, inguen &c.

Colica eſt *triſtis tactus ſeu ſenſus inteſtinorum craſſorum à cauſſâ violentâ.* Cauſſa hæc raro eſt intemperies nuda. ſæpe eſt materia deſcendens, ut pituita craſſa; interdum ſpiritus deſcendens, exitu carens. Si fiat ab inflammatione, comité habet acutiſſimam febrem & vomitum bilioſum.

Volvulus, εἰλεὸς & χορδαψὸς, eſt *tenuium inteſtinorum* (imprimis ilei, unde nomen Græcum) *dolor, cum turpi, vehementique vomitu, ventris tumore; incitans ea ad expulſionem per os; ortus ex materiâ acri*, *interdum inflammatione.* Hic inferiora inteſtina ſunt obſtructa, interdum ob inflammationem, & fæces. quæ etiamſi libera ſint, tamen quia acrimoniam humorum ferre nequeunt, motu epiſtaltico contrahuntur verſus ſuperiora, tandemque ipſas fæces ore excernunt.

Expulſio inteſtinorum naturalis eſt per podicem: quæ tamen labe-

facta-

factatur tribus modis, ſicut aliæ functiones. Conſtat, nullam dejectionem fieri, niſi facultas expultrix irritetur. ergo ſi excrementa ſint pauca, nec facultatem irritantia, aut alioqui ſint his conditionibus prædita, ſenſus tamen aut diminutus, aut abolitus ſit, ut in apoplexia; non erit dejectio. Fæces itaque ut facultatem irritent, debent perfuſæ eſſe bile flavâ; ob cujus defectum tarda erit dejectio.

Porro fæces copioſæ aut paucæ æſtimantur ex aſſumptis alimentis; niſi forſan alimenta ſint planè excrementitia. *Diarrhœa* eſt *crebra dejectio humorum excrementitiorum, nata à facultate expultrice irritata.* Irritationem facit non tantum copia, ſed & excrementorum qualitas. Morboſa hęc diarrhœa ſupponit ſemper pravam diſpoſitionem, & morbum lædentem vires, in quâ non expelluntur, quæ debebant & qualia, ſed cruda, & vitioſa, cum moleſtiâ. Multi-

 plex

plex eſt, pro varietate materiæ; unde alia bilioſa, alia melancholica eſt. Pars mandans, interdum eſt ventriculus: ſæpiſſimè verò totum corpus. Huc pertinet hecticorum fluxus colliquativus, in quo partiũ ſubſtantia & pinguedo à calore diſſolvitur.

Lienteria, partim huc pertinet, partim ad ventriculum; idem de *paſſione cœliacâ* judicandum. Lienteriam vocant *celerem ciborum non tranſmutatorum per alvum dejectionem* quam efficit facultas retentrix ventriculi plane abolita. aboletur ab intemperie frigidâ, humidâ, pituitâ, &c. Quidam putant, expultricem, irritatam ab acri materiâ, idem efficere. In hac dejectione cibus non alteratus expellitur. verum ſi expellatur, ſed aliquo modo coctus & alteratus, fiet Cœliaca paſſio, ſolâ magnitudine à Lienteriâ differens.

Dyſenteria proprie dicta (nam aliter ſumi, non ignoro) eſt *dejectio cruenta, cum torminibus ventris*; quam inteſti-

teſtinorum ulcus facit. Humor inſigniter acer, ut bilis, pituita ſalſa. rodit ſæpe inteſtina, eaq; exulcerat. Pars mandans, non eſt certum aliquod membrum. Affectus hic quibuſdam quaſi gradibus incedit. humor enim primò inteſtinorum mucum, vel pinguedinem abradit; tum ſuperficiem; poſtremò ipſum inteſtinorum corpus. Porro communis eſt hic morbus inteſtinis omnibus, ſi rectum excipias. Eadem enim paſſio in recto eſt *Teneſmus*; niſi quod hîc non ſint ventris tormina; ſed tenſio & pondus inteſtini recti.

Præter hanc Dyſenteriam veram & germanam, ſunt aliæ nothæ & ſpuriæ: quarum prima eſt dejectio cruenta; non à morbo, ſed à naturâ facta. quando enim tanta ſanguinis copia gignitur, ut naturæ ſit moleſta, tum facultas irritata, ſicut per nares, hæmorrhoides, uterum, ita etiam per inteſtina, eum expellit, ſed citra morbum. Hæc ſanguinis ex-

cretio non nocet, imo liberat ab imminentibus malis. Deinde hujus generis eſt fluxus hepaticus ille, in quo ſanguis niger & ſplendens, diutiuſq; in hepate aſſatus, expellitur in inteſtina. Tertia ſpecies eſt dejectio ſanguinis aquoſi, ſimilis carnis loturæ, orta ab inſigni intemperie frigidâ. Conſtat ex anatome; ani officium eſſe, fæces continere & ad libitum expellere. ſi ergò muſculus exitum claudens σφιγκτὴρ dictus, reſolvatur ab intemperie frigidâ, invitis nobis fæces excidunt. Contrarium facit convulſio.

Fiſſuræ hujus partis, dicuntur Rhagades; quas acer humor ſæpe gignit. Tubercula ani, condylomata dicunrur; quæ à vitioſis humoribus iſtuc confluentibus generantur. Mariſcæ verrucis ſimiles ſunt; tubercula ſcilicet oblonga, carnoſa, propè cutem tenuia, ſupra lata, rubra, aſpera; eædem, à ſimilitudine floris thymi, dicuntur thymi: ſi fuerint

rint majores, dicuntur ficus: cauſſa frequentiſſima, eſt ſanguis melancholicus.

Hæmorrhoïdes ſunt *fluxus ſanguinis venarum in ano.* Venæ hæ ſunt duplices, internæ & externæ. Si natura per eas expellat, id quod noxium eſt, multum confert hujuſmodi apertio: ſin minus, lædit.

CAP. VIII.

De Morbis Hepatis, Lienis, &c.

IN Phyſiologiâ dictum eſt, ſecundam concoctionem peragi in hepate, membro, ut loquuntur officiali & publico: habet enim facultates diſpenſantes alimentum, ſicut ventriculus quæ non tantum inſerviunt ipſi hepati, ſed corpori univerſo: commune ſiquidem alimentum hic generatur: unde & ſedes facultatis nutritivæ, eâ cauſsâ, dicitur. Verum ad perfectam ſanguificationem, non modo

modo requiritur bona ejus diſpoſitio, ſed & partium miniſtrantium; lienis ſcilicet & veſicæ fellis &c. Omni morborum genere tentatur; nimirum intemperie, pravâ compoſitione, & ſolutione continui. Intemperies, quæcunque tandem, eodem modo generatur hîc, quo in aliis partibus. Hæc ſi magna fuerit, debilitatur viſcus in functionibus, attractione, concoctione, &c. Tentatur ſæpè obſtructione à materiâ viſcidâ venas obſtruente, ſanguiniſque diſtributionem impediente. Cujus ſignum eſt gravitas & tenſio in dextro hypochondrio. Si diu perſeveret; faceſſit tandem in inflammationem. Eſt verò *tumor calidus, ortus ex ſanguine putreſcente in hepatis ſubſtantiâ, comites habens febrem continuam, dolorem, ſenſumque gravitatis in dextro hypochondrio.* Cauſſa inflammationis eſt eadem, quæ & aliarum partium; eadem fluxionis cauſſa; pars mandans valida; debile hepar; humor acer,

Digitized by Google

acer, tenuis &c. febris, comes, noctu potiſſimum affligit. Muſculi jecori incumbentes, ſi inflammentur, viſceris hujus plegmonen mentiuntur: at in hepate tumor rotundus ejus figurâ circumſcribitur, cutiſq; incumbens naturali modo ſe habet; muſculorum vero tumor oblongus, minor febris, & major dolor. Ejuſdem lateris pleuritis, nullum habet pondus; verùm reſpiratio in eâ eſt difficilior, & dolor adeſt punctorius. Scirrhus, hepati familiaris morbus, eſt *tumor durus, renitens; indolens, à ſanguine melancholico impacto genitus*. Hic interdum ſponte gignitur, interdum hepatis inflammationem ſequitur. cum humore tenui, & acri diſcuſſo, manet tantum pars terrea, abeſt febris. Viſceris hujus functiones læduntur, vitio partium miniſtrantium; ventriculi nimirum, inteſtinorum & venarum meſaraicarum. Ex malo chylo non poteſt ſanguis fieri bonus. Nam licet ſe-
cunda

cunda concoctio corrigat utcunque primam, generatur tamen excrementorum proventus. Hinc Cachexia, habitus corporis mala diſpoſitio; tumida nimirum, & decolor, ex vitioſo ſanguine procedens. Aut non poteſt perfectè aſſimilari parti; crudus enim eſt, & pituitoſus. cauſſam habet in ventriculo interdum, ſæpè in hepate intemperiem frigidam. Cachexia eſt gradus ad *Hydropem; tumorem aut totius corporis, aut ſaltem ventris, à ſanguine pituitoſo, hepatis errore genitum.* Eſt autem triplex. *Anaſarca*, in qua totum corpus tumet à pituita alba. *Aſcites*, in quo non totum corpus, ſed venter, interdum ſcrotum & pedes, humore aqueo replentur, inſtar utris aquâ pleni. *Tympanites*, ſicca hydrops, in quâ venter percuſſus, tympani ſonum refert. Hîc ſpatium ventris inter peritoneum & inteſtina flatibus turget. adeſt quidem humor, unde flatus ſuſcitantur; paucus tamen. Atque

que hæc poſtrema affectio, non tantum ſequitur hepatis vitium, ſed &, eo interdum integro, ſequitur alterius partis corruptelam.

Atrophia eſt *corporis extenuatio, ex gravi hepatis intemperie frigidâ profecta.* Partis alicujus, ut manus, brachii, agnoſcit cauſſam non hepar, ſed membri affecti frigidam & ſiccam diſpoſitionem. Eundem affectum inducit impedita ſanguinis diſtributio ex obſtructione hepatis &c.

Cacotrophia eſt *converſio alimenti in ſubſtantiam, ab humanâ alienam, vitio hepatis corrupti;* ut in elephantiaſi videre eſt. Hic idem facit pravum corruptumque alimentum, ex quo bonus ſanguis generari nequit; unde *Scabies, Impetigo,* ſeu *lichen, lepra, Elephantiaſis.* Eſt autem *Impetigo aſperitas cutis, cum levi pruritu, orta ab humore acri ſalſo. Scabies, major* eſt *cutis aſperitas, comitem habens pruritum.* Cauſſam agnoſcit interdum ſuccum acrem, ſalſum; interdum melancholicum,

licum, aut clioſum. *Lepra* eſt *magna cutis aſperitas cum gravi pruritu, ex multo, acri, craſſo, melancholico humore, cutem erodente genita. Elephantiaſis* eſt *totius corporis tumor cancroſus, contagioſus, à bile venenatâ in hepate genito ortus.* Credibile admodum eſt, cum totum corpus pravè ſit affectum, ſedem facultatis naturalis, hepar ſcilicet, eſſe corruptum. quanquam lien hîc non omnino bene habeat. Hæc eſt Græcorum Elephantiaſis: nam Arabum eſt tumor pedum cum varicibus, Græcis ignotus.

Lues venerea eſt *morbus contagioſus, adjunctum habens capillorum defluvium, maculas, ulcera, tubercula, in tibiis potiſſimum, genitus ex putrido humore in concubitu.* Morbus veteribus ignotus. Americanis epidemius. Quanquam hic totum corpus ſit vitiatum, tamen origo corruptelæ eſt hepar, quod ex bubonibus adjunctis patet. ſolet enim hoc viſcus in inguina excrementa ſua deponere. Dolor, morbi

morbi hujus comes, noctu potiſſimum invaleſcit. Non ſunt audiendi quidam, negantes, hunc morbũ eſſe novum; quaſi novus morbus generari nequeat. Quid dicemus de ſudore Britannico? de plica Polonica? *Icterus* propriè dictus ſeu *flavus*, eſt *fœdus corporis color, genitus ex bile flava per corporis ſuperficiem diffuſa*. Bilis, à ſanguine non ſegregata, diffundit ſe per totum corpus: aut quia hepar excrementum hoc in veſiculam expellere non poteſt; aut, ut alii volunt, quia veſicula ad ſe non trahit. contingit ſæpe, vitio alimentorum magnam bilis copiã generari: nonnunquam etiam vitio ipſius hepatis nimium calidi. At *Icterus niger* eſt *lividus corporis color, genitus à ſucco melancholico in ſummam cutem effuſo, eodem modo, quo in flavo;* niſi quod hic lien male habet, ſicut veſicula fellis illic. Huc pertinet *ſcorbutus* (Plinii Sceletyrbe) *vitioſus corporis habitus, cum crurum debilitate, maculis lividis*. gingi-

Digitized by Google

gingivis tumidis, ſanguinolentis; ortus à melancholicis ſuccis; lienis, non ſatis attrahentis, vitio. lien ſæpe hic obſtruitur, vigorque animi, & alacritas, pereunt.

CAP. IX.

De Morbis Renum & Veſicæ, &c.

RENum munus eſt, ſerum à ſanguine ſegregare, & ad Veſicam mittere. Veſicę autem eſt, illud continere, quouſque videatur opportunum pellere. acrimoniâ enim ſuâ, interdum & copia, facultatem irritat. Hæ duæ partes, malè ſe habentes, mictum lædunt.

Renes omni morborum genere tentantur. quorum pleroſq; examinabimus; breviter tamen. Inflammantur renes eodem pacto, quo alię partes, à ſanguine bilioſo irruente in ſubſtantiam, eamq; in tumorem attollente. Febris hic eſt continua; dolor in omnes partes vicinas diffuſus;

Digitized by Google

ſus hepar nimirum, lienem, veſicam. difficilis hic eſt mictio. terminatur in abſceſſum. interdum in ſcirrhum. cujus eadem natura, quæ & aliorum ſcirrhorum, eadem generationis ratio: abeſt dolor, abeſt febris & ardor. Exulcerantur renes interdum ob abſceſſum ruptum, interdum ob ruptionem vaſorum inſitorum, interdum à calculo &c. Urina hic eſt cruenta, purulenta, fætida, cum fibris rubris. Generantur calculi in diverſis corporis partibus; ſed nullibi frequentius, quam hîc. Materia eſt humor terreſtris, viſcidus, craſſus, cujus partes tenuiores & magis aqueas abſumſit calor. Calor dico; nam frigus nullum eſt in corpore vivo, quod calculum efficere poteſt. Fateor quędam à frigore conſtringi, ut glaciem, metalla; ſed hæc à calore ſolvuntur; ſunt etiam extra corpus humanum; quorum neutrum hic obtinet. Calculus renum familiaris ſenibus magis quã pueris, ſicut veſicæ

cæ

Digitized by Google

cæ contra. Calculi nondum moti, ſed quieſcentis, ſigna ſunt, ſenſus gravitatis in lumbis renis affecti, abeſt tumor, ſed non dolor, coxa lateris affecti ſtupet. Si calculus è renum ſubſtantia in cavitatem eorundem, vel ureteres, (acutiſſimi ſenſus vaſa) penetret, oriuntur dolores nephretici acutiſſimi & graviſſimi. paraxyſmi initio, urinæ paucæ, & aquoſæ, minguntur, &, ſi calculus aſperior fuerit, cruentæ; affecti lateris teſtis contrahitur. vomituſque ex conſenſu ventriculi oboritur, eodem modo, quo in affectu colico. Nam hujus dolor, illum mentitur: colicus tamen magis vagus eſt. eſt quoque ſupra renes, facilius mitigatur, nullum adeſt urinæ impedimentum. Veſica omni morborum genere infeſtatur. temperamentum ſæpè labefactatur, interdum à qualitate ſimplici, ſæpè à materia conjuncta: atque hinc fit inflammatio, quæ eodem modo hic fit, quo in aliis partibus,

bus,ut ſæpè dictum. Hujus comites ſunt dolor, gravitas, ardor, rubor circa inguina, febris continua; quæ eo gravior,quo humor calidior:major enim eſt à ſanguine bilioſo, quã pituitoſo. Partes aliæ,in conſenſum trahuntur. degenerat ſæpè in abſceſſum; unde exulceratio veſicæ, (quæ tamen alias cauſſas habere poteſt.) cujus ſigna ſunt, urina craſſa initio, cum pauco ſanguine aut pure; ſuccedunt ſquammulæ, non carnoſæ, ſed membranoſæ, furfuris ſpeciem repræſentantes, &c.

An calculus veſicæ illic etiam ſit genitus, an vero rudimentum alibi acceperit, diſputant Medici. cauſſam tamen non video, quo minus poſſit generari hic, atq; in renibus. Notæ ejus ſunt urina cruda, aquoſa, ſero lactis non diſſimilis in pueris, ſedimentum habens arenoſum: pruritus circa pudenda, virga intenditur, adeſt dyſuria cum dolore: &c. Mictio urinæ varia habet ſymptomata,

mata, analoga illis, quæ in dejectionibus alvi contingunt, ut conſtabit.

Iſchuria vera (notha eſt, in quâ urina non effunditur, quia in veſica non eſt vitio aliarum partium) in quâ veſica eſt ſero plena, reſpondet alvi ſuppreſſioni: eſt autem *abolita mictio, procedens à vi expultrice labefactatâ, vel alioqui ob anguſtiam oris veſicæ.* Ergò gravis intemperies inducens torporem vel paralyſin, corpori veſicæ adimit omnem ſenſum; ita quidem, ut non expellat. Si ejus cervix, aut muſculus hoc modo lędatur, erit involuntaria urinæ expulſio. Gravis ſopor, aut mala affectio partium principum, iſchuriam inducent. Idē fiet in cervicis obſtructione à calculo, inflammatione, carunculâ, compreſſione vicinarum partium &c. Quodſi veſica nimium tendatur à nimiâ urinæ copiâ, (quod in longis conviviis fieri amat) contrahere ſe nequit. tum obturabitur meatus, & generatur iſchuria.

Dia-

Digitized by Google

Diabetes, renum affectus lienteriæ ſimilis, eſt *celerrima & copioſa mictio potus non tranſmutati, cum ſiti: orta à depravatis facultatibus, retentrice, & attractrice.*

Involuntarius mictus fit ex reſolutione ſphincteris veſicæ, quam facit intemperies frigida, vulnus, contuſio, &c. *Stranguria* ſimplex ſimilis eſt teneſmo; *aſſiduus mejendi conatus, ſine dolore, quo urina guttatim effluit, pauca quidem, ſed frequenter, proveniens à facultatis retentricis debilitate, quæ à nimiâ copia gravatur.* Cauſſa debilitatis ſæpe eſt intemperies frigida veſicæ. Sin verò urina guttatim exeat, cum conatu & dolore, expultricem irritante, eſt ſtranguarioſa dyſuria. *Dyſuria* dyſenterię reſpondet, eſtq; *mictio dolorifica ex intervallo accidens, ſine conatu aſſiduo, quâ urina interdum affatim, interdum guttatim exit.* Mingitur interdum ſanguis, pus, &c. quæ ex ſuperioribus facile intelligi poſſunt.

CAP. X.

De partium Genitalium Morbis.

DE Generatione, & inſtrumentis ei inſervientibus, de utroq; item ſexu, in Phyſiologia ſatis diximus: reſtat ut de harum partium vitiis ordine agamus.

Quod ad teſtes attinet; ii omni morborum genere infeſtari ſolent; intemperie, mala compoſitione, & ſolutione continui. Continentur in viris à ſcroto. Scroti vitium eſt hernia ὀσχεοκήλη, cujus multiplex eſt cauſſa. Ileum & cœcum inteſtina in ſcrotum decidentia attollunt illud in tumorem, oriturque ἐντεροκήλη. ſimiliter & omentum, unde ἐπιπλοκήλη dicta provenit. Idem faciunt aqua, ſpiritus, caro adnaſcens. Deſcendit inteſtinum, vel omentum ex laxato foramine, per quod vaſa ſpermatica à teſtibus feruntur.

Ad

Ad generationem requiritur penis erectio, & ſeminis effuſio; quæ ſi aboleantur, eſt vera impotentia. Ad erectionem concurrit ſemen, ſpiritus in fiſtuloſo penis nervo, poſtremò actio muſculorum penem attollentium: ſi quid horum deſit, non attollitur. Spiritus deficit, aut quia nō generatur, aut quia avocatur, aut quia non recipitur ab inſtrumento languido, aut aliter vitiato. huc pertinet maleficium, & incantatio. *Priapiſmus* eſt *pudendi tenſio præter naturam, ſine veneris deſiderio, orta à flatu fiſtuloſum penis nervum implente. Satyriaſis* à plerisque creditur eadem cum priapiſmo: à quibuſdam diſtinguitur. qui enim diſtinguunt, aiunt, eſſe communem viris cum fœminis; palpitationem membri genitalis, ſeu penis, ortam ex inflammatione vaſorum ſpermaticorum. *Gonorrhæa*, eſt *involuntaria ſeminis effuſio, ſine tenſione pudendi, & veneris deſiderio, orta à debilitate facultatis retentricis vaſorum ſpermati-*

maticorum. Eſt & virulenta gonorrhœa à fœdo concubitu orta, ex acri & virulento ſemine, penem & vaſa ſpermatica exulcerante. Huc refertur profluvium ſeminis in tabe dorſali, novis maritis quibuſdam in regionibus familiare. *Pollutio nocturna* eſt *ſeminis ſecundum quietem emiſſio, cũ veneris inſomnio & pudendi tenſione.*

Omne morbi genus uterũ vexat. *Anguſtia* eſt in ipſo pudendo, vel alis, vel in orificio uteri, vel etiam in cervice. Interdum ex ipſo ortu contrahitur, interdum vitio aliquo adnaſcitur caruncula, membrana, tumor, &c. Si ſubſtantiæ uteri impingantur humores, generabitur tumor; qui tam eſt varius, quam humor generans; phlegmone nimirum, œdema, eryſipelas, ſcirrhus. dignoſcuntur ſuis notis. *Hydrops uteri*, eſt *tumor ex aquoſo humore aut ſeroſo genitus, propter debilitatem caloris nativi.* Colligitur humor, non tantum per congeſtionem, ſed & tranſmiſſionem ex aliis parti-

partibus. Dignoſcitur hic affectus ex ſtrepitu, gravitate, menſium ſuppreſſione. *Nympha* eſt *ſubſtantia carnoſa, in commiſſura alarum pudendi ſita:* quæ veſtimentorum attritu arrigitur, & ad venerem impellit, nihil tamen excernitur. Nymphæ ſimilis eſt *cauda;* alibi tamen generatur; nimirum in uteri orificio, implens muliebre pudendum, coitumque impediens: foris interdum propendet. utriuſque cauſſe eſt ſanguinis copia. *Procidentia* eſt *dimotio ejus ex naturali loco, à gravitate inſita, ob vinculorum aut laxationem, aut ruptionem.* Laxantur à frigidis, humidis, &c. at caſus, partus difficilis, & ejuſmodi, eadem rumpunt. In hoc affectu, uterus in pudendum cadit. Tradunt authores, non tantum uterum procidere, ſed adſcendere, & in latera ferri, ob vaſorum brevitatem: ſi enim æqualiter trahantur, uterum ſurſum ferri; ſin inæqualiter, in hoc aut illud latus. Brevitas & contractio

 oriun-

oriuntur ex repletione ligamentorum ob menſtrua retenta,interdum ob alias cauſſas. Scio, horum affectuum alias tradi cauſſas,& inter eas ingenitam uteri vim, quâ ſalubria proſequitur,& ingrata fugit; de quibus prolixius agere non licet.In quã partem inclinet uterus, cognoſcitur ex loci tumore, dolore, tenſione.

Corpus muliebre per uterum ſuperfluum ſanguinem expellit; quæ functio læditur ſæpiſſimè. Et primò quidem in fæminis juſtę ætatis aboletur: cujus cauſſa interdum eſt ſanguis, interdum debilitas facultatis expultricis, nonnunquam anguſtia vaſorum uteri. Sanguis interdum viſcidus eſt,& craſſus,omnique motui ineptus.Signum hujus eſt laſſitudo tenſiva,dolor lumborum,cibi faſtidium, nauſea &c. Interdum aliò revocatur. Quid? quod ſæpè non gignitur,quando debebat.Nam menſtruorum ſuppreſſio in gravidis,nutricibus, viraginibus, non eſt ſym-

proma.

ptoma. In aliis juſtæ ætatis vitium eſt; quod faciunt curæ, vigiliæ, victus parcior, vulnera, hæmorrhoides, dyſenteria &c. Iam verò membri hujus anguſtia varias habet cauſſas, obſtructionem, compreſſionem, obturationem à membrana, caruncula, &c. Cauſſæ eædem ſi leviores fuerint, diminutam evacuationẽ menſtruorum efficiunt, in quâ guttatim fluit ſanguis ſine dolore. *Profluvium menſtruorum* eſt *immodica ſanguinis per uterum evacuatio, à totius corporis vel præcipuorum viſcerum facultate expultrice ſtimulata.* Stimulus interdum eſt ſanguinis copia, vel acrimonia. idem contingit in vaſorum uteri apertione. fluxus antevertit debitum tempus ob eaſdem cauſſas. *Profluviũ muliebre* eſt *vitioſorum humorum expurgatio per uterũ, facta ab irritatione facultatis expultricis viſcerũ.* Sicut in aliis fluxibus, ita hic, quatuor conſiderantur. pars mandans &c. quæ hic non eſt unica. interdum enim eſt totum

corpus, interdum præcipua viſcera: pars recipiens eſt uterus. at materia quæ fluit, eſt corrupta, tenuis, alba; interdum aliter affecta. cujus cauſſa eſt, aut in viſceribus, inprimis hepate, aut pravo alimento & victu. In hoc affectu pedes tument, facies eſt decolor, difficilis reſpiratio &c. *Fluxus* hic, ſi ſit materiæ candidæ, ſimilis eſt gonorrhææ muliebri. *Vteri ſuffocatio* eſt *reſpirationis debilitas* (ſæpè quoad ſenſum abolita videtur) *cum vitalium & animalium functionum læſione, genita à vapore putrido ab utero aſcendente.* Sanguis enim & ſemen, ſi in utero putreſcant, malignos vapores ſuſcitant, magnarum calamitatum cauſſas. ſicut epilepſia à partis alicujus conſenſu procedens, per intervalla recurrere ſolet; idem de hoc affectu judicandum. malum viduis familiare eſt. Differt à ſyncope, quod aliquis ut plurimum pulſus hic percipiatur, frigidus ſudor non erumpat, nec facies liveat, nec odoratis,

ut in

ut in ſyncope, juventur, niſi inferiori ventri admoveantur. Correptæ hoc malo, ſi pungantur, ſentiunt; quod in apoplexia non amat fieri. vocatæ etiam audiunt, ac recordantur poſt paroxyſmum; quod non faciunt Epilepticæ. facies quoq; in hoc affectu rubet & tumet. Ad immodicum veneris deſiderium pertinet *ſatyriaſis*. Eſt autem *ardens coëundi appetentia, cum ingenti pruritu, & pudendi dolore, ab inflammatione partium genitalium orta. Furor uterinus*, eſt *magnum veneris deſiderium, conjunctum cum pudendi pruritu, ortum ab ingenti uteri calore, malignos vapores ad cerebrum mittente;* unde nihil aliud, aut loquuntur, aut cogitant, quam venerem. In hoc affectu eſt deſipientia. quæ in ſatyriaſi non contigit. *Sterilitas*, eſt *mulieris juſtæ ætatis, & utentis viro, concipiendi impotentia*, ſeminis uteriq; vitio proveniens. *Impotentia coëundi* ob uteri & pudendi anguſtiam, ad ſterilitatẽ revocatur. Omnis uteri affectus, at-

tractionem, retentionem, & ſeminis vivificationem labefactans, ſterilitatem inducit. Viragines ob ſanguinis defectũ, ſicut & præpingues, ſteriles ſunt. Semen quoque intemperatum, aut alioqui malè affectum, eandem inducet impotentiam. Fæcunditatis & ſterilitatis ſigna, à Medicorum vulgo jactata, incerta, & fallacia ſunt. Si ſemen nimis copioſum ſit, aut paucum, aut alioqui phantaſia, & facultas plaſtica interpellentur, monſtra producuntur. Huc pertinet mola; caro nimirum informis, in uteri cavitate ex vitioſo ſemine, & copioſo ſanguine, genita, multis venis prædita. Hanc facultate naturali præditam eſſe contendunt, & more plantarum alimentum attrahere. Videas tamen ſæpe molas informes, quæ an animatæ ſint, ambigitur. animæ enim certiſſima nota eſt figura certa. Mola genuinum conceptum ſæpe mentitur; attollitur enim uterus, deficiunt menſes: abeſt

abeſt tamen blandus motus, qui tertio menſe in vera gravidatione percipitur. mammæ ſine lacte tument, legitiméque pariendi tempus longè excedit. Quodſi ſemen in utero corrumpatur, eiq; conjungatur humor pituitoſus, aut alius malignus, erit falſa gravidatio. *Abortus* eſt *motus depravatus uteri, fœtum jam animatum* (embryonis enim ejectio, non eſt abortus) *ante legitimum tempus expellentis*. Symptoma hoc contingit ſæpè vitio uteri, interdum fœtus, & ſanguinis materni. Uterus malè diſpoſitus, fætus juſto major, aut aliter affectus, ſanguis quantitate aut qualitate peccans, irritant facultatem uteri expultricem, ante debitum tempus. Partus naturalis non tantum debito tempore, & modo, ſed ſine magno dolore fieri debet, citra tamen fætus aut uteri læſionem: ſi in uno horum peccatur, partus non erit naturalis.

INSTI-

INSTITUTIONES MEDICÆ.

LIBER IV. DE SIGNIS.

CAP. I.

Signorum Diviſio.

MOrborum natura & ſedes innoteſcunt nobis ſignorum auxilio; quibus ignoratis, illa pariter ignorari neceſſe eſt. Ordinis ergò ratio huc manuducit, Σημειωτικὴν perſequamur, digniſſimam medicinæ partem. Nec enim ſufficit morbos, eorumq; cauſſas inveſtigaſſe, niſi etiam eorum notas, & quaſi characteres, explicuerimus; quod ſignorum doctrina abunde præſtat. Signum logici vocant illud, quod ducit in alterius cognitionem, alium-

aliumque uſum non habet, quam ſignificandi; ut campanæ ſonitus, ad id inſtitutus eſt, ut denunciet concionem, aliumque uſum non habet. Hinc ejus diviſio in naturale, & ex inſtituto. Illud vocant, quod vim ſignificandi naturę debet; hoc, quod humanæ inſtitutioni. illius exemplũ eſt ploratus; hujus autem, ſermo. At Medici aliter de ſignis philoſophantur, eaque omnia ſigna vocant, quæ ſignificant morbum; qualia ſunt ſymptomata conſequentia, etiamſi nec naturâ, nec arte inſtituta ſint ad ſignificandum: ſunt enim naturales effectus conſequentes ſuas cauſſas, ut fumus ignem; aut alioqui cauſſæ futurorum affectuum. Signa petuntur vel ab affectibus ſignatum conſequentibus, vel à cauſſis præcedentibus. Cauſſarum nomine intelliguntur, non tantum externæ, ut aër; ſed internæ, ut temperamentum. Signatum reſpondens ſigno, eſt corporis conſtitutio. quæ triplex eſt, ſana,

ſana, ægra, neutra. Ergò ſigna omnia aut ſunt ſalubria, aut inſalubria, aut neutra. prima ſanitatem, ſecunda morbum, tertia verò mediam conſtitutionem ſignificant. Reſpectu temporis dividuntur ſigna in Διαγνωστικὰ, Προγνωστικὰ, Ἀναμνηστικὰ. prima præſentem conſtitutionem, ſecunda futuram, at poſtrema præteritam ſignificant. Poſtrema hæc ſigna non ſunt magni momenti; at priora illa magnum habent in Medicinâ uſum. Quia vero propter morbos agimus de ſignis, de inſalubribus agemus primò. Hæc dividuntur in communia, & propria; in ſeparabilia, & in inſeparabilia. ſi vero conjungas inter ſe inſeparabilia, & propria, orientur παθογνωμονικά. Hæc cum morbo incipiunt, & deſinunt, augenturque & minuuntur cum eodem. ut in pleuritide, dolor latèris punctorius, tuſſis, anhelitus difficultas, febris acuta, pulſus ſerratilis.

Signa

Signa communia, & ſeparabilia συνεδρεύοντα vocantur, ſeu aſſidentia. Hæc cum morbis non cohærent neceſſariò, nec ab eorum eſſentiis fluunt; declarant tamen aliquid circa morbum, magnitudinem nimirum, durationem, morem &c. Huc ſpectant ſigna critica, lethalia, & non lethalia, ſigna cruditatis & coctionis. Hæc ſigna ſunt prognoſtica; ſicut pathognomica, diagnoſtica. In ægro quatuor conſiderantur, affectus, pars affecta, cauſſa affectus, & ſymptoma. Quartum hoc, ſymptoma nimirum, manifeſtat tria ſuperiora. hoc quomodo fiat, porrò videamus.

CAP. II.

De Signis quibus pars affecta inveſtigatur.

IN ſignorum examine initium faciemus à diagnoſticis, præſentem ægri

ægri ſtatum manifeſtantibus. & primò quidem ſedem affectam videamus. quam quinque modis cognoſci tradunt Medici: nimirum *actionis læſione, excretis, ſitu, doloris proprietate, accidentibus propriis.*

Primum eſt *actio læſa*, quæ optimè deſignat partem affectam; eâ enim læſâ, neceſſariò læditur actio. Ad actionem revocatur uſus. Læsâ ergò actione ſimilari, lædetur temperies. Organicâ læſâ, lædetur organi ſtructura, vel ea pars ſimilaris unde actio procedit, aut partibus connexis. Obſervandum tamen, quod non ſemper uni læſæ actioni reſpondet unica pars, ſed ſæpe plures; ut in reſpiratione videre eſt, quæ plurium adminiculo partium indiget, quæ interdum omnes laborant. Nec contra pluribus læſis functionibus plures læduntur partes; ut in Apoplexiâ & Syncope videre eſt. nam in illâ motus & ſenſus abolentur, cerebrum tamen ſolum eſt malè affectum.

Digitized by Google

ctum. Artificioſâ itaque utendum hic eſt conjecturâ, animoq; luſtrandæ actiones naturales, vitales, animales, cum ſuis fontibus, corde, hepate, cerebro: Videndum porrò quomodo actio ſit læſa; depravata ſit, an diminuta, & abolita; an pars primariò laboret, an ex conſenſu.

Secundò partem affectam demonſtrant *excreta:* in quibus conſiderantur *ſubſtantia, magnitudo*, & *excernendi modus*. Quod ad primam attinet; ea interdum eſt pars membri, ut in dyſenteriâ, interior membrana inteſtinorum: in phtiſi, pars pulmonis. Interdum excrementum parte contentum; urina ſcilicet, calculus, lumbrici. Interdum alimentum; ut chylus, ſanguis; & ſanguis interdum eſt venoſus, interdum arterioſus. Quæ omnia abunde locum denunciant. Nam, exempli cauſsâ, ejectio chyli vulnus eſſe in ventriculo ſignificat: at fæcum & urinæ, inteſtinorum & veſicæ vulnera arguunt.

Tertiò,

Tertiò, *ſitus* affectam ſedem oſtendit, quod ex duritie, tumore, aut partis tenſione cognoſcere licet. Dextri hypochondrii tumor non ſublimis, lunari figura, eſt nota affecti jecoris; ſiniſtri hypochondrii ſimilis tumor, ſignum eſt lienis malè diſpoſiti. verum ſi hiſce in partibus tumor fuerit ſublimis, arguit, impoſitos muſculos inflammatos.

Quartò, proprietas doloris idem facit. Audivimus, dolorem eſſe triſtem ſenſationem; ſubjectum ergò debet eſſe ſenſu præditum: quanto ergò pars exquiſitius ſentit, tanto magis dolet; quanto minus exquiſitè ſentit, contra. Si ergò cauſſæ doloris ſint vehementes, & pars affecta ſit acuti ſenſus; intendetur dolor. Dolores ergò intemperiei calidæ majores ſunt, quam frigidæ. Ita materia acris & mordax dolorem ingentem excitabit. Pars nervis abundans, ut membrana, dolore corripietur acuto, & punctorio; ut in

ut in pleuritide videre eſt.

Quintò, propria accidentia manifeſtant locum affectum. ut citrinus color totius corporis, obſtructionem jecoris, aut veſicæ fellis; niger color, lienis obſtructionem deſignant. Eadem eſt & aliarum partium ratio. Tantum obſerva, uni ſymptomati non eſſe nimium fidendum. Hiſce omnibus addi poterit, *conſenſus partium.* læſis enim meningibus, bilioſi vomitus oboriuntur; læſo ventriculo, cerebri deliria. Hæc quę de ſignis ſunt dicta, confirmantur ex ſexu, ætate, victu, conſuetudine.

CAP. III.

De Signis morborum, & cauſſarum internarum.

QUanquam cognita affecta parte, innoteſcat unà morbus ejuſque cauſſa; quia tamen ſecus interdum accidit, extendenda longius eſt oratio,

oratio, inquirendumque in ſigna morborum. Videndum ante omnia, utrum pars laboret ex conſenſu, an proprio affectu tentetur. Si enim morbus ſit permanens, ex ſe laborat: at ſi alia parte irritata, morbus irritetur, & non irritata quieſcit; pars ex conſenſu laborat. Quod dico eſt conſpicuum in morbis ſenſum & motum vitiantibus. Nam cum inſtrumenta ſenſus egeant ſpiritu animali à cerebro delato; fit ut lædantur eorum actiones cerebri vitio, ut in apoplexia videre eſt; deficit enim viſio, non oculi vitio, ſed cerebri. Morbi ſpecies & idea cognoſcitur ex quatuor capitibus; nimirum excretis, loci natura, dolore, poſtremò accidentibus propriis. hoc idem faciunt ſigna pathognomonica. Finge itaq;, chylum non mutatum expelli; ſignum eſt lienteriæ: aut urinam ſabuloſam; ſignum eſt calculi. Quod ad loci naturam; ſciendum, morbos quoſdam partibus quibuſdam familiares

liares

liares eſſe; nam lumbrici in inteſtinis ſolis generantur: quoſdam alieniſſimos; ut cor abſceſſum non fert, nec cerebrum ſcirrhum; pulmo non dolet. Doloris proprietas ſignum eſt affectus, & cauſſæ: dolor enim pulſatorius arguit inflammationem partis carnoſæ; dolor pungens ſignum eſt membranæ inflammatæ. Poſtremò cognoſcitur morbus ex propriis accidentibus; ut icterus ex calore flavo, febris ardens ex nigrore linguæ. Ad accidentia propria revocantur morborum tempora, tam univerſalia, quam particularia, periodi, & typi. Nam typus eſt periodorum ordo: periodus tempus excandeſcentiæ, ſeu intenſionis, & remiſſionis. Morbus enim omnis vel continenter affligit, vel intermittit, & remittit; ut in febribus conſtat. Huc addi poterunt alia ſigna ſecundaria, deſumpta ab ægrotandi promptitudine. Quæ pendet ex corporis conſtitutione, ex temperie,

ſexu,

ſexu, ætate &c. nec non cauſſis, externis, aëre, regione &c. Homo enim temperamento frigido, non facile hyeme incidet in febrem. nam quanquam omnibus temporibus generari poſſint morbi; tamen quibuſdam magis, quibuſdam minus. Sunt morbi quibuſdam populis familiares, ut ſcorbutus littoris Baltici incolis, ſtruma Valeſiis. quæ omnia ſtrenuo Medico ſunt conſideranda.

Nec tamen neceſſe eſt ſemper plura ſigna adhibere, eaque inter ſe conferre. nam ſufficit quandoque unum ſignum pathognomicum; ut in Apoplexia videre eſt. Quodſi unũ non ſufficit; plura ſunt inveſtiganda; eaque inter ſe componenda erunt; ut in deliriis videre eſt.

Sed jam tempus eſt, deſcendere ad morborum ſpecies. Et primò intemperies nuda ſubitò nec gingitur, nec actiones ſubitò tollit; ut in iis morbis fieri amat, qui fiunt ab humoris affluxu, quemadmodum

Apo-

Digitized by Google

Apoplexia: nec partes tenduntur, aut gravitatis ſenſu afficiuntur. Calidum morbum demonſtrant cauſſæ præcedentes corpus calfacientes; ut aër, cibus, potus &c. rubor partis affectæ. frigidæ intemperiei contraria ſunt indicia. Idem judicium eſto ceterarum intemperierum. Morbi compoſitionis cognoſcuntur ex cauſſis prægreſſis, & ſymptomatis. Nimiæ apertionis vaſorum ſignum eſt contentorum præter naturam evacuatio, ab expultrice debilitatâ. Juvantur obſtruentibus. Vaſorum anguſtorum contraria ſunt ſigna; contenta enim præter naturam intus retinentur. Si magnitudo in parte externâ augeatur, ſenſibus eſt obvia. ſin autem latet in parte internâ, cognoſcitur ex dolore gravante, aut diſtendente, calore, frigore, tumoris ſitu. Diminutæ magnitudinis contraria ſunt ſigna. Morbus in numero partis externæ aucto aut minuto, ſenſibus occurrit. ſin ſit partis internæ

ternæ & abditæ, vitio conformationis in utero, cognoſcitur ex actione læsâ, & figurâ cutis non naturali, quâ parte reſidet morbus. ſin pars interna ſuo moveatur loco; non modo cognoſcitur ex tumore, & dolore ejus partis, in quam decumbit; ſed etiam ex cauſſis efficientibus membrum de ſede deturbantibus. Ulcus interdum cognoſcitur ex ſanie, pure, ſanguine. Et hoc quidem modo cognoſcuntur morbi præſentes & loci affecti.

Sed dices, quomodo cognoſcam cauſſas latentes, quæ morbos ſæpè faciunt? contigit enim non raro, ut morbus cum loco affecto cognoſcantur, ignoratâ tamen cauſsâ; cujus tamen cognitio eſt neceſſaria ad curandum. Cauſſa omnis eſt vel externa, eoque nota, & evidens: vel occulta, & interna; ut contenta in corpore præter naturam, nec non plethora & cacochymia, quæ contentorum ſunt diſpoſitiones medi-

cæ:

cæ: quæ ſuis ſignis manifeſtantur. Temperamentum corporis, ætas, conſuetudo, ſexus, evacuatio naturalis ſuppreſſa, regio, aër &c. non tantum ſigna ſunt humorum redundantium, ſed etiam cauſſa. *Plethora* eſt *redundantia æqualis omnium humorum in venis contentorum.* Interdum ſolius ſanguinis redundantia, plethora dicitur. Eſt autem duplex, quoad vaſa, & quoad vires. Illius ſignum & cauſſa, eſt temperamentum calidum humidum, adoleſcentia, victus plenior, vita jucunda, ſanguinis evacuatio ſuppreſſa. Signum tantum eſt color rubeus, habitus carnoſus &c. Redundantia ad vires cognoſcitur ex corporis gravitate. *Cacochymia* eſt *redundantia humoris, à ſanguine diverſi;* melancholiæ ſcilicet, bilis, pituitæ. Corpus ergò calidum, ſiccum, juventus, æſtas, victus calidus & parcus, immodica exercitatio, ſicut bilem generant, ita & deſignant: tum enim facies eſt citrei

M coloris,

Digitized by Google

coloris, habitus corporis ſiccus, macilentus; pulſus celer, urina ignea &c. Eadem eſt ratio cacochymiæ pituitoſæ, melancholicæ; quæ ex ſuis ſignis, & cauſſis, cognoſci poſſunt eo modo quo bilioſa, de qua jam actum. Corporis inanitio cognoſci poteſt ex contrariâ repletione, ejuſque cauſſis & ſignis.

Cap. IV.

De Pulſibus.

SUnt duo ſigna medica maximi momenti, pulſus, & urina: nam non ſolum præſentem ægri conditionem ſignificant, ſed & futurum eventum denunciant. Quanquam pulſus primò facultatem vitalem, ejuſque ſedem cor, nobis oſtendat; ſecundariò tamen robur totius corporis, & vigorem, manifeſtè ſignificat, quatenus reliquæ facultates à vitali pendent. Urina hepar, renes,

veſicam, genuſque venoſum, eorumque conſtitutionem, oculis ſubjicit, aut horum viſcerum robur minus arguit. Unde quæritur jure à Medicis, utri horum ſignorum magis ſit fidendum. Conſtat, pulſum eſſe ſignum virium in quocunque affectu; proinde latius patet urina, quæ nec omnia viſcera, nec omnes affectus indicat. quoties tamen concurrunt, (concurrunt autem non raro,) fidendum magis urinæ. Pulſus enim differentiæ non ſunt tam evidentes, nec futurum morbi eventum tam declarant: urina, ejuſque contenta, oculis patent; nec tantum vires & morbum, ſed etiam morbi longitudinem ejuſque eventum demonſtrant. quanquam non puto peſſimam urinam conjungi poſſe cum bono pulſu, aut contra.

Veteres Græci definiunt pulſum hoc modo; eſt *actio propria, primum cordis, ſecundariò arteriarum, quâ, di-*

 ſten-

ſtenſione, & contractione, moventur à facultate vitali, tum propter conſervationem temperiei caloris innati, tum propter generationem ſpiritus animalis in cerebro. Quæ definitio omnes pulſus cauſſas continet, ut examinanti patet.


Pulſuum alii ſunt ſimplices, alii compoſiti. Quod ſi pulſum cum pulſu conferas, vel unius partem cum aliâ, oritur pulſuum relatio.

Quinque ſunt genera prima pulſus ſimplicis. *Primum* eſt quantitas diſtenſionis; reſpectu cujus corpus arteriæ in omnem extenſionem, longam, latam, profundam movetur; aut contrá. unde oriuntur pulſus magnus, mediocris, parvus. *Secundum* ſumitur à motus qualitate; unde pulſus celer, mediocris, tardus. *Tertium* eſt reſpectu quietis; unde pulſus creber, mediocris, rarus. *Quartum* reſpectu facultatis vitalis; unde pulſus vehemens, digitum tangentis propellens, medio-

cris,

cris, languidus. *Quintum* reſpectu arteriæ; unde pulſus durus, mediocris, mollis.

Sunt ergò quindecim pulſuum ſimplicium differentiæ, quæ arteriam ſe attollentem ſemper comitantur. Pulſus calidus, aut frigidus, inutiles ſunt Medico ad prædicendum. Pulſus vacuus, plenus, gravis, levis, cognoſci nequeunt;



proinde à nobis negligentur. Quod de pulſibus dicitur, ſubjecta figura illuſtrat.

Pulſus compoſiti dicuntur, qui ex ſimplicibus conſtant; quorum licet plurimæ ſint differentiæ, ſingulæ tamen ex quinque ſpeciebus ſimplicibus componuntur, exempli cauſſa, magnus, celer, creber, vehemens, mollis. vel mediocris, mediocris, mediocris, vehemens, mediocris; qui pulſus eſt quadratus, convenitque homini temperatiſſimo. Obſerva tamen, quoſdam pulſus eſſe incomparabiles, ut loquuntur; quemadmodum pulſus magnus & durus, qui nunquam, aut rariſſimè, conjunguntur. idem de molli & vehementi judicium eſto.

Relationes pulſuum, ſunt ordo, æqualitas, rythmus. Quicunque pulſus neque magnitudinem, neque celeritatem, crebritatem, vehementiam, nec denique mollitiem muta-

mutarunt, verum in his omnibus perſeverant, dicuntur æquales: qui vero in omnibus immutati ſunt, dicuntur abſolutè inæquales: qui verò non in omnibus, ſed in uno aut altero genere variantur, dicuntur inæquales ſecundum quid, ut magnitudine aut vehementiâ inæquales. Iam æqualibus pulſibus ſemper adjunctus ordo: at inæquales interdum ſunt ordinati, interdum inordinati. Illi ſunt, qui in multis pulſationibus ſuam ſervant diverſitatem: inordinati contra. Verbi gratia; ſint octo pulſus vehementes, nonus debilis; nonum iſtum ſequantur octo denuo pulſus vehementes; iſtos autem, nonus debilis; & ita deinceps; pulſus iſte eſt inæqualis in vehementiâ, ſeu uno genere, at ordinatus; quia nonus pulſus eſt debilis. Verum ſi diverſitas varietur, ita ut indifferenter nunc octavus, nunc ſextus, ſit debilis & languidus; pulſus talis non tantum

eſt inæqualis, ſed & inordinatus. Quod de vehementiâ dicitur, idem intelligendum de magnitudine, celeritate, crebritate &c. Ergò ſunto decem pulſus crebri, undecimus rarus; erit talis pulſus inæqualis in crebritate; quia undecimus pulſus eſt rarus; ſed ordinatus tamen. inordinatus verò eſſet, ſi indifferenter tertius aut quintus eſſet rarus.

Rhytmus Galeni (nam Herophili non morantur medici) eſt *qualitatum pulſus ſecundum diſtenſionem & contractionem proportio*. qualitates voco, celeritatem, tarditatem, & utriuſque mediocritatẽ. Proportio enim, non ſolum in quantitate, ſed in qualitate habet locum. quomodo ſanitas dicitur juſta proportio calidi, frigidi, humidi, ſicci. Quando ergò contractio & diſtenſio ſunt pares, oritur rhythmus æqualis: ut ſi diſtenſio ſit tarda, & contractio erit tarda. Sin diſtentio ſit celer & contractio tarda, oritur rhythmus inæqualis.

Sed

Sed redeamus ad pulſus inæqualitatem. Quæ duplex ſtatuitur: vel enim eſt in pluribus; vocaturque *ſyſtematica*, vel collecticia inæqualitas: interdũ inæqualitas eſt in unâ pulſatione: quæ *ſingularis* dicitur. Quod ad *ſyſtematicam* attinet; illa duas habet ſpecies. Alii enim pulſus ſunt æqualiter inęquales, alii inæqualiter. Æqualiter inæquales ſunt, ſi ſecundus ſit minor primo, tertius ſecundo, quartus tertio, & ita deinceps. Hic ille eſt pulſus, qui vocatur *Decurtatus*, *Myurus* ab Avicennâ, cauda ſoricina; quia magnitudini ejus ſemper aliquid decedit. Quodſi eouſque minuatur pulſus, ut deficiat, vocatur *Myurus deficiens*: ſin autem maneat in eadem parvitate, ad quam ſenſim pervenit; caret nomine: ſin in eâdem parvitate non maneat pulſus, ſed ad priſtinam magnitudinem, vel etiam majorem, aut minorem, redeat; pulſus dicitur *Myurus reciprocus*.

M 5 Quod

Quod ad *inæqualitatem ſingularem*, ſeu quæ in uno pulſu cernitur, attinet, ea eſt primò duplex: vel enim eſt in una parte arteriæ, reſpondente uno digito: vel in pluribus partibus, reſpondentibus pluribus digitis. Si in unâ parte; tres exiſtunt differentiæ. Nam primò motus interrumpitur mediâ quiete, vocaturque intermittens in uno pulſu. Secundò motu eſt continens, tranſit tamen celeritate in tarditatem, & contra; dicitur verò Latinis Medicis impar citatus. Tertiò, pulſus retrocedit, redit tamen; eſtque pulſus dicrotus ſive bis pulſans: Pulſus bis pulſans, eſt etiam bis feriens; ſed non contra. Nam caprizans bis ferit, non eſt tamen dicrotus. hic enim eſt unicus tantum pulſus. Lege Galenum lib. 1. de pulſuum differentiis. Sin inæqualitas ſit in uno quidem pulſu, verùm diverſis arteriæ partibus; multæ orientur differentiæ. Interdum motus pulſusque con-

continui ſunt; interdum interrupti. quas quidem differentias, quia innominatæ ſunt, omittam lubens.

Præter ſimplices inæqualitates, ſunt aliæ compoſitæ, quæ omnes, exceptis decem, carent nomine. Nomina autem ſunt ejusmodi, pulſus *undoſus*, *vermiculans*, *formicans*, *caprizans*, *ſerrans*, *ſpaſmoſus*, *vibratus*, *tremens*, *palpitans*, *hecticus*. *Vndoſus* eſt in quo omnes partes arteriæ non attolluntur ſimul, ſed initio prima pars arteriæ, deinde ſecunda, tum tertia, & quidem motu continuo, usque ad arteriæ finem, ſeu ægri pollicem. Accedit quarundam partium altitudo, quarundam humilitas, inſtar undarum ſe elevantium. Ab undoſo non differt *vermiculans*, niſi ſecundum minus: & quanto undoſus ſuperat vermiculantem, tanto vermiculans formicantem; qui adeo eſt debilis, ut ſæpe non obſervetur; eſt enim non ſolum minimus, ſed & tardiſſimus & langui-

diſſimus. *Caprizans* eſt de genere intermittentium in uno pulſu, quos media quies interpellat. In hoc prima pars motus ſyſtoles, vel diaſtoles eſt tarda, aut moderata; ſecunda autem pars celer. Obſerva, ſecundum motum, non tantum debere eſſe celeriorem, ſed & vehementiorem. nam quemadmodum capra, dum alteram adoritur, primò ſe effert, ac priuſquam impetum perficiat, ſe retinet, & quaſi deſinens, altero tamen motu, & celeriore, & fortiore, denuò irruit; ſimiliter & hic pulſus. *Serrans pulſus* eſt in diverſis arteriæ partibus, in uno tamen pulſu. nam primus digitus ſentit motum, & tertius: verum ſecundus, & quartus, nequaquam. *Spaſmoſus*, ſeu retortus, in quo mutato ſitu arteria attollitur ſurſum, & deorſum, à pollice, & ad pollicem ægroti; & quidem in altum. Huic ſimilis eſt *vibratus*; niſi quod tenſio ſurſum & deorſum hic ſit minor, ſed

tamen

tamen eminentia major. *Pulſus tremens & palpitans*, eſt in quo arteria tremit, & palpitat. *Hecticus pulſus* eſt, qui perpetuò ſibi ſimilis eſt. eſtque perpetua arteriarum agitatio, ſibi ſemper ſimilis, cujuſcunque tandem ſit ſpeciei. nomen habet à febre hecticâ.

Cauſſa pulſus efficiens, eſt vis vitalis cordi inſidens, ab eoque in arterias diffuſa. Inſtrumentum eſt arteria. Finis eſt neceſſitas & uſus; temperies nimirum caloris vitalis.

Varietas pulſus oritur à cauſſa continente; quæ triplex eſt, facultas, inſtrumentum, & uſus, ſeu neceſſitas. quæ ſi bene habent, pulſus in omni genere erit moderatus: ſin mutetur cauſſa continens, pulſus quoque mutabitur. Si ergò uſus fuerit auctus, nimirum calor præter naturam intenſus, facultas valida, arteria obſequens; generabitur pulſus magnus. Si magnitudo non ſuffe-

ſuffecerit; accedit celeritas. Si ne hæc quidem; crebritas, ſuccedit. Ob contrarias cauſſas fiunt pulſus parvi. Celer pulſus fit, aut ob uſum auctum, aut penuriam ſpiritus vitalis; ob quas cauſſas pulſus fit creber, ſeu frequens. Vehemens pulſus fit à robore facultatis; ita tamen ut uſus & inſtrumentum reſpondeant. Languidus à contrariâ cauſſâ. Pulſus duri cauſſa, eſt arteriæ durities; ſicut ejuſdem mollities, cauſſa eſt pulſus mollis. Pulſus dicroti cauſſa, eſt inæqualis cordis & arteriarum diſpoſitio: nam quædam partes tantum calent, quædam præterea fuligine obſidentur. Pars enim tantum calida diſtendit, at altera calida, & fuliginoſa, contrahit eodem tempore: & hæc quidem ad expulſionem fuliginum, illa verò ad refrigerium. Fit ergo diſtenſio & contractio diverſimodè, pro hujus aut illius partis victoria. Pulſus undoſus, vermiculans, formicans,
diffe-

differunt tantum ſecundum magis & minus; proinde tales habebunt cauſſas; nimirum debilitatem facultatis, vel humorum in arteriis copiam, aut alioqui inſtrumenti mollitiem. Undoſus enim quia major eſt reliquis & celerior, ab humorum copia fieri certum eſt; reliqui à facultate debili. Caprizantis cauſſa eſt facultas valida, impedita tamen aut humorum copia, aut compreſſione arteriarum. Serrantis cauſſa, eſt facultas onerata, uſus auctus; inſtrumentum durum. Pulſus convulſivi cauſſa, eſt ſpaſmus membrorum. Vibratus pulſus, tres agnoſcit cauſſas; facultatem validam, uſum auctum, & inſtrumentum durum. Quæcunque febrem hecticam inducunt, pulſum quoque hecticum efficiunt. Myuri cauſſam agnoſcunt facultatem debilem, ſicut & Myuri reciproci. Obſervandum porrò, variari pulſum, pro conditione rerum non naturalium, ſexus,

æta-

ætatis, loci, &c. Quod Avicenna ex hominum pulſu, eorum patriam cognoſcere potuerit, ut quidam produnt; logi ſunt. Si tria verba addidero: finem faciam. Supponendum hic, non tantum diſtenſionem arteriæ, ſed & contractionem, à digito percipi poſſe. Finis contractionis, & initium diſtenſionis, percipi nequeunt: contra utraque quies perceptibilis eſt.

CAP. V.

De Vrinis.

SIgnum ab urinâ ſumptum eſt magis manifeſtum pulſu. Eſt autem *urina, excrementum ſeroſum ſanguinis, genitum ex ſuperfluâ portione liquidorum aſſumptorum, & ab excrementitiâ bile tinctum, quod renes attractum ad veſicam demittunt.* Jam antea monui, ſerum eſſe ſanguinis vehiculum: ſanguis enim craſſus, penetrare

Digitized by Google

trare nequit, & ſubire tenues venas, niſi ſero copioſo dilueretur. Proinde ſanguinis naturam, nec non hepar, lienem, renes, veſicam, optimè manifeſtat urina. Quæ non omni tempore eſt colligenda; verum mane, peractâ concoctione, in matulâ vitreâ, pellucidâ, albâ, tenui. colligenda, inquam, non poſt crapulam, aut aſſumptionem medicamentorum eam tingentium, aut alio modo afficientium: nec tamen diu ſervanda. quæ ultra quinq; aut ſex horas ſervatur, corrumpitur, & putreſcit; adeò ut nihil ſignificet. Ubi verò aliquandiu reſederit, & refrixerit, inſpicienda erit; non tamen in radiis ſolaribus, ſed extra eos in aëre lucido.

In urina ſex conſiderant Medici, *conſiſtentiam, ſeu modum ſubſtantiæ, perſpicuitatem, quantitatem, odorem, colorem, & denique contenta;* quæ ſingula conſideranda ſunt ſeorſum. Si modus ſubſtantiæ conſideretur; urina

alia

alia craſſa, alia tenuis, alia mediocris. Urina interdum tranſparens, interdum obſcura & opaca, ut eam permeare nequeat viſus. Ratione quantitatis, vel multa, vel pauca, ac proinde interdum reſpondet potui, interdum non. Odor urinæ propriè nullus eſt; aut ſi eſt, fœtidus eſt; niſi forſan medicamenti alicujus permiſtione ſuavem odorem ſpiret. Urinæ color multiplex eſt, albus, (quo pertinent cryſtallinus) aqueus, lacteus, glaucus, charopus, pilis camelorum ſimilis. Tum ſubſpiceus. ſpiceus, pallidus, ſubrufus, ſubflavus, rufus, flavus, ruber. Tertiò eſt color viridis, æruginoſus, praſſeus, ceruleus, venetus, lividus, niger. Poſtremò in urinâ conſiderantur contenta; nimirum hypoſtaſis, enæorema, nubes, bullæ, ramenta, ſquammæ, pili, arenæ, pinguedo, pus, humores &c.

Sed quia nemo urinam ægrorum cognoſcere poteſt, ignorata ſanorum,

rum,

rum, de hac, tanquam regula alterius, agemus primò. Sanorum, bono corporis habitu præditorum urina, ſubflava, aut flava eſt, talis manens, qualis mingitur; cujus quantitas poculentorum quantitati reſpondet, mediocris ſubſtantiæ, odore nequaquam gravi, ſæpe ſine contentis. interdum adeſt hypoſtaſis alba, levis, æqualis, pyramidalis in fundo matulæ, ſine aliis excrementis. Hujuſmodi itaque urina ſignum eſt bonæ concoctionis. Negandum tamen non eſt, etiam in ſanis urinam à jam deſcripta recedere, ob varias & multiplices cauſſas.

Ergò urina mediocris ſubſtantiæ bonam hepatis concoctionem ſignificat; juſto autem craſſior, vel tenuior, concoctionem malam arguit. Urinam tenuem efficit liberalior potus, vel obſtructio aliqua viſcerum; modo craſſities ſit ex admiſtione ſubſtantiæ alienæ: nam ſi natura ſua, & ſubſtantię modo, craſſa ſit,

ſit, nulla obſtructio eam extenuare valet. In morbis acutis urina eſt tenuis, ex ſententiâ Medicorum, ob facultatis concoctricis debilitatem; unde cruditatem arguit. Quæ ſi diutius perſeveret, vireſque fuerint debiles, mors: alioqui ſi vires non adeò ſint debiles, abſceſſus in partibus inferioribus metuendus erit; in criſibus recidiva. Craſſa urina ſit, aut modo ſubſtantiæ, aut aliarum rerum permiſtione. In febrium initiis, hujuſmodi urina eſt ſignum debilitatis, & pugnæ naturæ cum morbo. niſi præceſſerit tenuis, tum vero concoctionis eſt ſignum. Urina craſſa, interdum eſt perſpicua, & tranſparens; interdum turbulenta. Craſſa, & perſpicua, ſi ſit candida, creditur eſſe ut plurimum ex permiſtione pituitæ; ſignumque eſt cruditatis. ſi reliqua ſigna bene ſe habeant, ſalutem, aut longum morbum portendit. Sin morbus ſit acutus, appareat autem quarto die hujuſmo-

juſmodi urina; die ſeptimo morietur æger. Urina craſſa & turbulenta, quam calculi renum, aut veſicæ excrementa non effecerunt, nec frigus externum induxit, eſt ob humorum crudorum copiam. Turbulenta urina eſt triplex. Prima clara mingitur, poſtea verò craſſeſcit. Secunda craſſa mingitur, poſtea verò ſubſidet. Tertia craſſa mingitur, craſſaque permanet. Eſtque hæc urina verè turbida, & confuſa, ſine ullis contentis, nec ignis calore diſſolvitur. Prima urina eſt turbulentarum optima; ſignificat enim, naturam incipere concoctionem. Secunda ſignum eſt ſecretionis, & attenuationis. Poſtrema eſt peſſima, indicatque humorum fermentationem, copiam, perturbationem, virium debilitatem, dolorem præterea capitis, aut præſentem aut imminentem.

Urina omnis debet reſpondere potui; nam ſi ille multus eſt, & hæc non

Digitized by Google

non multo minor eſſe debet ; ſin paucus, & hæc quoque pauca. Nam copioſa eſt mala ; niſi forſan ſit critica ; deſignat enim magnam colliquationem ſuccorum, & corporis; quemadmodum in febribus ardentibus videre eſt. interdum retentricem facultatem jecoris, & ventriculi debilitatam. interdum etiam intemperiem calidam renum ; ſicut in Diabete. Pauca urina redditur, vel ob potus penuriam, vel renum & hujuſmodi viſcerum obſtructionem, aut debilitatem facultatis expultricis, aut evacuationem per alias vias, aut etiam conſumptionem à vehementi calore. Magnus urinæ fœtor comes eſt putredinis; (ſi eum non contraxerit ex aſſumptis poculentis, aut ulcere partium, per quas tranſit) ſignumque eſt malum in morbis acutis; niſi forſan die critico urina copioſè excernatur.

Omnis urinæ color, eſt ex admiſtione alieni humoris ; bilis ſcilicet aut

aut alterius ſucci; nam ſola coctio, aut alteratio urinam non tingit. proinde flava ſanorum urina, eſt ex admiſtione bilis naturalis ſerum imbuentis & tingentis. Quanto itaque urina candidior, tanto minus ineſt bilis; cruditatemque indicat, aut obſtructiones: niſi forſan aliò, ut in caput, rapiatur; quemadmodũ in phrenitide, & febribus ardentibus fieri amat; proinde malum eſt ſignum. Ita in Ictero urina alba diu perſeverans hydropem minatur. Urina alba, craſſa, ſignificat pituitæ copiam. Urina pinguis, phthiſin & colliquationem pinguedinis. Urina ſubſpicea meliorem concoctionem indicat, quã ſubalba. Quanto bilis, quâ tingitur urina, intenſiorem habet calorem, tanto majorem viſcerum ardorem arguit. Subrubra, & tenuis argumentum eſt crudi & periculoſi morbi: ſin verò hæc eadem ſubrubra fuerit craſſa, ſimileque habuerit ſedimentum; longum morbum, at periculi exper-

expertem portendit. Urina admodum rubra claraque ſequitur febres ardentes, & hepatis intemperiem calidam. Rubra & craſſa, aut ſanguinis multitudinem, aut bilis vitellinæ admiſtionem deſignat. Hæc diu perſeverans in morbo acuto, aut mortem, aut inflammationem renum minatur: ſin verò turbida manſerit, hepatis inflammationem & non rarò ſcirrhum oſtendit. Urina nigricans, ſi impoſitum linteum colore citrino tingat, habeatque citrinam ſpumam, ſignificat icterum ex obſtructione veſicæ fellis. aut ſi ſit alba, ſeu parum rubra, maneatque icterus; hydrops in propinquo eſt.

Tranſeamus ad urinas cruentas; quæ ſi fiant à ſanguinis copiâ; die critico, cum ægri tolerantiâ, bonæ ſunt. ſignificant enim, facultatem expultricem vigere: hæc enim materiam morbificam in febribus per veſicam expellit. Cruentæ evadunt urinæ in nephriticis ex eroſione venarum.

narum. Urina craſſea eſt ſignum ſanguinis toſti, & ejuſdem putredinis. Viridis eſt ſignum bilis æruginoſæ, vel conſimilis, eſtque judicium magni incendii, interdum & convulſionis. Color venetus melancholiam arguit: & urina veneta craſſa, frigoris magni eſt comes, quæ ſi ad nigrorem vergat, caloris extinctionem ſignificare creditur; quanquam nigror urinæ magnum alioqui incendium arguit. Non omnis urina nigra eſt mala; quod multis exemplis probatur in Epidemicis; ejus enim mictione multi liberantur à melancholicis affectibus.

Verum tempus eſt contenta urinæ conſiderare. Urina in matulâ contenta, ad aëris ſimilitudinem, dividitur in tres regiones; ſupremam, mediam, & infimam. In primâ eſt nubes; in ſecundâ ſuſpenſum; in tertiâ & infimâ, ſeu matulæ fundo, eſt ſedimentum, ὑπόστασις dicta. De cujus materia, & modo, magna eſt

contentio. Nam Fernelius putat, nō malè, eſſe craſſiorem urinæ portionem, & quaſi fecem; non tantum in ſanis, ſed & ægris. Alii dicunt, ſanorum hypoſtaſin eſſe reliquias tertiæ concoctionis in venis. At male habentium, ſicut & neutrorum, eſſe materiæ morbificæ portionem. Alii aliter. Quicquid ſit, ſanorum hypoſtaſis, & contenta, ſunt regula aliarum urinarum. Contenta itaque in urinis ægrorum, quanto ſunt ſimiliora contentis ſanorum, tanto ſunt meliora; quanto vero diſſimiliora, tanto deteriora. Hypoſtaſis ergo alba, levis, & æqualis, arguit in ægris bonam concoctionem. Sin ſuſpenſum ſit album, leve, & æquale; indicium eſt concoctionis debilioris; ac proinde majoris cruditatis, quam in ſuperiore. Melius tamen eſt nubecula, quæ tenue eſt coctionis initium. Ergò nubecula gradus eſt ad ſuſpenſum; ſicut ad hypoſtaſin. Quæ ſi laudabilis ſit, perfectæ concoctionis

nis eſt ſignũ. Si ergò nullum ſit contentum, hoc eſt nubes, nec ſuſpenſum, nec ſedimentum in urinâ; plerumque arguit, naturam non eſſe aggreſſam concoctionem. at ſi interdum appareant, rurſumque evaneſcant; naturæ & morbi certamen innuunt. Quod ſi in morbis nulla appareant contenta, ut quandoque accidit; cruditatis magnæ, aut corruptionis humorum, eſt argumentum. quod & accidit in viſcerum debilitate, inflammatione, aut obſtructione. Si præceſſerint magnæ evacuationes, humores excrementitios expurgantes; deſtituitur urina contentis. Quod in ſanis contentorum defectus ab obſtructione fiat, non eſt admittendum. illi enim ſæpè non gignunt. Multa contenta in ægris fiunt à validâ facultate alteratrice; quæ in febrium initiis & augmento copiam humorum deſignant; in declinatione autem ſi appareant, modo nullum pravum interveniat ſig-

 num,

num; ſalutem & ſecuritatem denunciant. Pus ſæpe in urinâ ſubſidens, mentitur bonam hypoſtaſin; diſtinguitur tamen, quia purulenta urina non tantum fœtet, ſed & abſceſſum in viſceribus ſupponit. Apparet interdum in urina pinguedo; quam ex adipis liquatione fieri, ante dixi, in febribus magnis: nam magnus calor non tantum ſolvit adipem, ſed & ipſam carnem; unde fiunt hypoſtaſes ervinæ, ſimiles farinæ hordeaceę. Sin partes ipſæ ſolidæ diſſolvantur; urina erit laminea, furfuracea, pultacea. Bullæ urinarum fiunt ab incluſo ſpiritu, & flatu.

CAP. VI.

De Præſagiis.

DEventum tandem ad Medicinę partem, tum nobiliſſimam, tum difficillimam; futurorum nimirum circa ægrum prædictionem.

Morbo

Morbo enim, & cauſſa, locoque affecto cognitis, præſagitio, & prædictio ſuperſunt. Præſagitio nil aliud eſt, quam prænotio, & ſcientia futurorum in humano corpore, ex manifeſtis ſignis. Horum enunciatio, eſt prædictio; nã prænotio in mente tantum eſt. Signa hoc loco vocamus tantum prognoſtica.

Circa ægrum tria ſunt præcognoſcenda; *primò*, quò morbus erumpet; ad ſalutem, an vero mortem. *ſecundò*, quo tempore: *poſtremò* quomodo. Unde & ſigna ſunt triplicia; primò ſalutis & mortis: ſecundò concoctionis & cruditatis; tertiò decretoria. Sumuntur autem hujuſmodi ſigna à cauſſis proximis; morbo & facultate; non ab affectibus, qui non ſunt. Comparandi itaque ſunt morbus & natura, conſiderandumque uter ſuperet. Nam ſi morbus ſit facultate ſuperior, morietur æger: ſin contra, vivet.

In morbo quinque examinanda

 veni-

veniunt. primum ejus idea; ſecundum magnitudo; tertiũ mos; quartum motus; & demum exitus. quæ ſingula ſuis cognoſcuntur ſignis. Morbi ſpeciem, & ideam, ſymptomata patefaciunt; ſicut & ejuſdem magnitudinem. Nam parvus morbus, parva habet ſymptomata; magnus, magna. Mos morbi, cognoſcitur ex benignitate, & malignitate ſymptomatum. Omnis enim morbi malignitas (hæc vitæ furtim quaſi inſidiatur) periculi plena eſt. Motus cauſſæ morbificæ, ſunt quatuor illa tempora, in quæ duratio morbi dividitur; nimirum principium, augmentum, ſtatus, declinatio. Verum ex omnibus his temporibus, ſtatus (in quo magna naturæ & morbi pugna) maxime cognoſci debet; non tantum ad curationem, ſed etiam præſagitionem. Tendit autem huc morbus admodum variè; interdum tardè, interdum celeriter; interdum æqualiter, interdum inæqualiter;

ter; nonnunquam conſtanter, & ordinatè, nonnunquam contrá. Morbi celeritatem aut tarditatem oſtendit ejuſdem ſpecies. Apoplexia enim citò ad ſtatum venit, quartana intermittens tarde. Idem facit ſymptomatum incrementum: prout enim illa creſcunt, morbi brevitas, & longitudo manifeſtatur. Idem faciet acceſſionum natura: ſi enim poſterior acceſſio priore ſit longior, & vehementior, citiuſq; recurrat; morbus citò admodum ad ſtatum veniet. Sin contrà ſe res habeat, ita ut poſterior acceſſio ſit priore brevior, benignior, tardiuſque redeat; morbus declinat, vigorque & ſtatus ſuperati ſunt. Atque hæc quidem intelligenda ſunt de morbo periodos habente; quibus ſi careat, ad ſymptomatum incrementum decurrendum eſt. hæc enim ſi celeriter augeantur, brevi ſtatus expectandus. Quod dico, evidens eſt in morbis à cauſſis calidis, qui citò moventur. Sin cauſ-

ſa ſit frigida; contrarium fiet. Huc referuntur anni tempus, regio, ætas, natura ægri &c. Iuvenis enim, in regione calida, æſtate, ſi ægrotet; ut plurimum morbus celerem habebit ſtatum. An tempora morborum, æqualiter & inæqualiter, (nimirum an principium ſit velox, augmentum tardum, vel contra) conſtanter, ordinatè; an vero contra; diſces non tantum ex propriis ſymptomatis, ſed & ſupervenientibus accidentibus. Tempora morborum (quæ in benignis morbis ſemper ſunt quatuor, in malignis nulla eſt declinatio) non circumſcribuntur dierum numero: nam ſæpe morborum principia nos làtent. cognoſcuntur non tantum ex ſymptomatum incremento, ſed etiam cauſſarum motione. Quod ad principium attinet; multipliciter accipi ſolet. nam & primus inſultus morbi, & tres primi dies, & totum tempus, quo materia cruda eſt, principium

pium dicitur. Propriè tamen principium hic eſt, cum ſymptomata ſunt leviora. Augmentum, in quo hæc augentur. Status eſt, cum eſt vehemens pugna naturæ, & morbi; in quo maximè ſæviunt ſymptomata. Declinatio autem eſt, quando ſymptomata miteſcunt. Atque hoc primo modo cognoſcuntur tempora. Cognoſcuntur præterea ex motione cauſſarum morbificarum. nam cum natura conetur coquere perfectè, & alterare materiam, principiũ morbi eſt illud tempus, quo cauſſa morbifica, ſive materia, eſt adhuc cruda. Augmentum in quo apparent notæ concoctionis. Vigor, in quo concoctio eſt peracta. Declinatio excipit concoctionem.

Quintum in morbis obſervabile eſt, quo tota præſagii doctrina eſt directa, & morbi exitus; an ſcilicet victurus ſit ęger, an vero moriturus; tum quo tempore; poſtremò ſubitóne, an paulatim. Signa, quibus æ-

gri ſtatus cognoſcitur, ſunt functiones, excrementa, & nonnulla ad ægri corpus pertinentia. Functiones oſtendunt facultatum robur, & conſtantiam. Hujuſmodi facultates principes, tres ſunt, Naturalis, Vitalis, Animalis. harum potiſſima eſt vitalis. quæ ex pulſu cognoſcitur: frequentes enim & graves lipothymię ejus debilitatem teſtantur. Idem de animali judicandum. Nam viſio, & auditio, ſubitò debilitatæ, ſigna ſunt gravis morbi. Eadem eſt ratio ſenſuum internorum, & facultatum principum, nec non facultatis motricis: malum enim eſt, excrementa præter naturam ſupprimi, aut reſpirationem redditam eſſe difficiliorem. Robur virtutis naturalis cognoſcitur ex coctione, & cruditate excrementorum; quæ quanto ſimiliora ſunt excrementis ſanorum, tanto ſunt ſaniora, oſtenduntque robur facultatis naturalis: quanto autem diſſimiliora, tanto ejuſdem debi-

Digitized by Google

debilitatem magis arguunt. Verum quia unâ excretione non ſolvuntur omnes morbi, hinc diverſorum excrementorum diverſæ exiſtunt ſignificationes. Habitum enim totius corporis, indicant ſudores: ventris conſtitutionem, dejectiones: at urina genus venoſum, & partes eas, quas tranſit, indicat. Eadem & aliarum ratio. In quibus omnibus obſervandus odor, color, copia &c. ſudor enim fœtidus, frigidus, circa ſolum caput erumpens, peſſimum ſignum eſt: ille enim eſt ſignum magnę putredinis: hic vero, aut mortis, aut morbi prorogationis. Contra, ſi die critico, apparentibus ſignis concoctionis, ſudor erumpat univerſalis, calidus, continuus, bonum eſt ſignum. Quod de ſudore dico, intelligendum itidem eſt de alvi excrementis, aliiſq; aliarum partium. nam quanto ſanorũ ſimiliora ſunt, tanto meliora. In quibus omnibus conſiderantur notæ cruditatis, &

coctionis, tum an tempeſtive fiant, an ſecus? tertiò an cito, an tardè? quartò an conſtanter? poſtremo an cum ægri damno, an ſalute? Quæ à laborantis corpore deſumuntur, non ſunt contemnenda. nam exempli cauſſa, naſus acutus, oculi concavi, ceteraque Hippocraticam dictam faciem conſtituentia, in malis ſunt. Idem de involuntariis lachrimis, pravo ægri decubitu, ſtatuendum. Ex horum ſignorum, quæ prognoſtica dicuntur, cognitione, & eorum inter ſe comparatione, eventus morbi præſcitur. Diximus, illa duo eſſe, morbum, & naturam. Ad morbum pertinent non ſolum ſymptomata, ſed & cauſſæ, ſi eas habet: ad naturam omnia auxilia, tam naturalia, quam artificialia. Ergò morbus cum natura (tanquam duo athletæ) eſt comparandus, videndumque uter potentior. Et quia medicus, miniſter eſt naturæ, obſervare debet, an natura ſola morbum de-

bellare

Digitized by Google

bellare poſſit. quod ſi fiat, ſpectator tantum erit. Sin minus; ſubvenire debet commodè. Commodè, dico; nam ſi vires penitus ſint proſtratæ, fruſtra medicina adhibetur. Nec enim ſine ſignis, & naturæ ductu, contra morbum pugnabit prudens medicus: nec etiã fidet iis quæ præter rationem apparent bona; nec deſperabit ſi præter rationem mala apparebunt. Signorum in prædicendo non eſt eadem dignitas: ſigna enim quædam quibuſdam ſunt majora, quædam præſtantiora & digniora. Magnitudo innoteſcit ex comparatione facultatis, vel morbi, cum aliis ejuſdem generis. Quanto enim facultas ſimilior eſt naturali, tanto deterius & majus etiã eſt ſignum. & quia vita pendet à facultate vitali; ſigna, quæ eam patefaciunt, digniſſima judicantur. Ergò ut de morbi exitu, & modo, prædicere poſſis, confer inter ſe morbum, & facultatem, morbi enim ſpecies,

&

& magnitudo, ejus exitum facile declarant. Nam morbi quidam ſua natura ſunt lethales, ut vulnus cordis. quidam ut plurimum, ſicut peſtis. quidam medio modo ſe habent. quia nec lethales ſunt, nec tamen facilè curantur; ut elephantiaſis. Sunt nonnulli periculi expertes, ut vulnus carnoſum manus, aut febris quartana intermittens. Periculum auget, aut minuit morbi longitudo, præcipuè in morbis acutis. Ceterũ malignitas in morbis ſemper eſt ſuſpecta: nam ſæpè contingit, apparentibus concoctionis in urinis ſignis, ægrum ſubitò de medio tolli. Quod tamen cautum medicum non fallit: nam malignitas prodit ſe pulſu, qui parvus eſt; aut ſuccedit animi deliquium &c. Videndum præterea, an morbus ſit ſimplex, an verò compoſitus: horum enim ſigna non ſunt confundenda, ſed ſeorſum diſtinguenda. in quibus omnibus, ut verbo abſolvam, vires conferendæ cum

morbi

morbi magnitudine ſunt, & ejuſdem ſtatu.

CAP. VII.

De Criſi.

RElìquum eſt, (nam de eventu morbi dictum eſt) ut de modo eventus agamus; hoc eſt, ſolveturne morbus ſubitò, an verò paulatim. Subitus eventus, conjunctus cum naturæ pugna, eſt criſis: ſin verò nulla ſit pugna, non eſt criſis, ſed repentina mors; ut in magna Apoplexia cernere licet. Hoc idem contingit in acceſſionum principiis, vigore, & declinatione particulari. Quanquã Criſis multipliciter uſurpetur; tamen propriè eſt *ſubita mutatio in morbis, vel ad ſalutem, vel ad mortem, cum pugnâ & perturbatione.* Per excellentiam tamen illa mutatio, quæ ad ſalutem ducit, Criſis dici ſolet. Hæc fit die critico, in morbi

ſtatu

Digitized by Google

ſtatu & vigore, à facultate naturali, materiam morbificam expellente. Dico, à facultate naturali, & quidem ſola; ut excludam evacuationes factas à medicamentis. Talis tres requirit conditiones. Quarum prima eſt, ut ſit fida, liberans ægrum à morbo: ac proinde nulla materia, recidivam factura, ſupereſt. Secundo, ut materia expellatur ex corpore, non verò de parte in partem transferatur. Tertiò, ut prius judicata ſit, & bono die decretorio eveniat. Prænunciant futuram criſin deliria, vertigo, capitis dolor &c. aliæque perturbationes; quæ Medicum terrere non debent, quia tantum ſunt ſigna, à quibus perturbatio incipit. Efficit criſin non ars, aut medicamentum, ſed natura, ſeu facultas naturalis, cujus eſt, expellere id quod noxium eſt: expelli autem debet materia, non quovis morbi tempore, verum in fine vigoris, cum materia eſt cocta. Dico, cocta materia; quia criſis non

Digitized by Google

non habet locum in morbis non humoralibus. Sin criſis mala ſit, in augmento plerunque jugulat; nam ſummum vigorem nunquam ſuperat. Materiæ excretio ſemper eſt manifeſta; niſi forſan in pueris; in quibus, ob pororum laxitatem, materia inſenſibiliter expellitur. At ſi materia transferatur ad partem aliquam ignobilem; non liberatur æger, ſed novus morbus gignitur; proinde non eſt perfecta criſis, materiæ tranſlatio.

Porrò majores noſtri obſervarunt, non quovis die fieri criſes bonas, (quanquam quidam ex Hippocrate contrarium doceant) ſed ſeptimo, decimo quarto, vigeſimo. Quorum tamen dierum non eſt eadem dignitas. nam 7. & 14. nobiliſſimi ſunt. iis enim plurimæ fiunt bonæ criſes. Poſt 20 diem criſes ſunt imperfectiores, unde & pauciores dies critici numerantur, quam in prioribus tribus ſeptimanis. à primo nimirum

mirum die 20 poſt 40 diem, (quia morbi, abſoluta criſi, non terminantur, ſed vel decubitu materię, vel ſolutione ſimplici) uſq; ad 60, omnes intermedii dies omittuntur. 60 excipit 80. 200. 120. unde horum dierum incertitudo maximè apparet. Diebus criticis ſui attribuuntur indices, qui die critico futuram criſin prænunciant. hoc modo: 4. eſt index 7. & 11. 14. 17. 20. nam dies critici integris ſeptimanis definiuntur, ſicut indices dimidiatis. Iam verò ratio ſupputandi ſeptimanas, & dies criticos, ſupra modum eſt incerta. prima enim, & ſecunda ſeptimana, à novo incipiunt principio. tertia verò ab ultimo die ſecundæ ſeptimanæ: ita ut 14 dies ſit finis ſecundæ ſeptimanę, & tertiæ initium. ultimus verò dies tertiæ ſeptimanæ eſt 20, non 21, ſi ſcholæ Hippocraticæ decretis ſtatur: illo enim die meliores fieri criſes, experientia teſtatur. Sed quare hoc potius die, quam alia, fiat criſis,

ſis, quæritur. Quidam putant, cauſſam eſſe revolutionem corporum cœleſtium. imprimis lunæ; quæ morbis brevibus imperare creditur, ſicut ſol longis. ſed hoc non poteſt fieri, niſi corpus cœleſte moveat noſtrum corpus. nam Criſis fit à facultate irritatâ. Qui numeris multum tribuũt, confugiunt ad diei ſeptimi, aliorumque ſimilium, dignitatem: quæ (nam quantitas non eſt activa) nulla eſt. alii aliter philoſophantur. Rectiùs illi ſentiunt, qui cauſſas proximas examinant; facultatem nimirum & morbum. Facultas enim non expellit, niſi irritetur à materiâ: pendet ergò dierum criticorum ratio à proportione facultatis agentis, & materię reſiſtentis quod in omnibus evacuationibus fieri amat: hac enim de cauſſa, certis diei horis fæces alvi excernuntur, & urina redditur. Quæ de diebus criticis diximus, intelligenda ſunt in morbis continuis, non intermittentibus; in quibus

bus acceſſiones numerantur, non verò dies. hinc ſeptimus circuitus eſt terminus tertianæ intermittentis, ſicut ſeptimus dies, continuæ.

CAP. VIII.

Quomodo ſit futura Criſis.

QUomodo ſit ſolvendus morbus, ſubitone, an paulatim, ex morbi æſtimatur magnitudine, (quo referuntur: mos & morbi ſpecies) facta ejus cum viribus comparatione. An verò citò, an tarde, motus imprimis docebit. Cui adjungitur quæcunq; morbum vel accelerant, vel tardant; ut temperamentum, ætas, regio. ſi enim ſit morbus vehemens, vires robuſtæ, ætas juvenilis &c. morbus erit brevis: ſin contra; longus. nam morbi acuti, aut ſubitò cum pugna, ad vitam vel mortem terminantur; aut ad mortem ſine pugna, ſi vires ſint debiles. Mors itaque cum criſi & pugna, poſtulat vires nobiliores morbo, non tamen omni-

Digitized by Google

omnino debiles & proſtratas. At mortis tempus ex ſtatu deprehenditur, & morbi motu. Morbus lethalis, cum validus eſt & celer, hominem derepente necat: ſin nec vehemens, nec celer; paulatim. Contra ſe res habet in minime lethalibus: nam natura valida ſubitò ſanare ſolet, imbecilla paulatim. An criſis ſit futura ad ſalutem vel mortem, colligi poteſt ex comparatione morbi cum naturâ. ita ut non negligatur urinarum concoctio, ætas, temperamentum, &c. Eſt enim concoctio ſignum inſtantis bonæ criſeos, quæ ſemper eſt in ſtatu: quo elapſo, nemo vi morbi perit; ſed vel errore, vel alia cauſſa. Iam verò criſis, ante ſtatum facta, mala eſt; quia irritatione naturæ à morbi magnitudine fit. Quando natura dominatur materię, motus in ægris ſunt determinati. ſin vires deficiant, nullus motuum ordo; unde prædictio ſæpè eſt fallax, & incerta. Morbi omnes ſalu-

tares

Digitized by Google

tares ſolvuntur paulatim, vel ſubitó. Cauſſa ſolutionis interdum eſt ſola natura; ea enim levem continui ſolutionem curat ſine medicamento: interdum eſt ſola ars; ut in luxato digito videre eſt: interdum ars cum natura conſpirat; ut in graviorum morborum curatione apparet. At criſis omnis fit à ſolâ naturâ. Ea autem convenire debet naturæ morbi. ardens enim febris ſolvitur, vel ſanguinis è naribus fluxu, vel ſudore poſt rigorem, nonnunquam alvi fluxu, & vomitu. Locus affectus non eſt prætereundus. nam ſi gibba hepatis pars afficiatur, natura per ureteres materiam expellit morbificã. Conſiderandum tertiò eſt temperamentum, ætas, regio, tempus. juvenes enim calidi, vere ægrotantes, liberantur ſanguinis è naribus profluvio. Quartò ſexus inſpiciendus eſt: nam mulieres liberantur à magnis morbis ſanguinis ex utero profluvio. Poſtremò conſuetudo eſt obſer-

Digitized by Google

ſervanda; ut in hæmorrhoidibus videre eſt. graves enim lienis affectus. tranſmiſſo ad hæmorrhoides ſanguine, feliciſſimè curantur. Inſtare criſin, ex propriis ſignis hoc modo cognoſces. ſi enim ſit febris ardens, immineatque hæmorrhagia, caput gaaviter dolet, & pulſat, nares pruriunt, oculis obſervantur ſplendores, lachrymæ oboriuntur involuntariæ &c. at ſi criſis vomitu terminetur, gravis præcedit capitis dolor, viſus eſt hebes, vertigo, morſus orificii ventriculi, labri inferioris agitatio &c. atque hoc modo terminantur ſæpè febres intermittentes. ſin verò ſudor expectatur, cognoſces ex ſuppreſſione urinæ, & fæcum, præter rationem, conjuncta cum rigore. partes exteriores magis rubent, & calent. quo modo judicantur febres continuæ. Inſtare criſin per alvi dejectionem, cognoſces ex aliarum evacuationum ſuppreſſione, ſi nempe earum notæ non appareant;

reant; inprimis autem, ſi retineatur urina, ſitque dolor ventris &c. Per urinas fieri, diſcis ex ſuppreſſione alvi, præter rationem. Ex ſimilibus denique ſignis judicandum de excretione, tum per uterum, tum per hæmorrhoides. Verùm ſi nulla adſint hujusmodi ſigna, judicabitur morbus ex trāſmiſſione humoris in partem ignobilem per vias patentes & rectas. Nā tranſmiſſio humoris à parte ignobili in nobilem, metaſtaſis vulgò dicta, pernicioſa admodum, nec criſis propriè dicitur. Partes ignobiles, recipientes aliorum membrorū excrementa, ſunt glandulæ, cutis, articuli &c. Idem hîc obſervandum quod ſupra, hujuſmodi tranſmiſſionem criticam (diadoſin vocant Medici) debere fieri à naturâ, nec à morbo, nec medicamento, irritata. Quibus autem in partibus ſit metuenda materiæ tranſlatio, docebunt accidentia eas partes circumſtantia; rubor nimirum, dolor,

lor, diſtenſio. ſi humorum indolem contempleris, craſſi & frigidi ad partes inferiores magis abſcedunt: ad ſuperiores verò tenues, & calidi.

Cap. IX.

De futura criſis tempore.

TEmpus futuræ criſis cognoſces ex longitudine morbi, ejuſdemque ſtatu. quo enim morbus brevior, eo propinquior ſtatus; in quo bona criſis ſemper contingit. Cognoſci autem ſtatum ex morbi natura, & ſymptomatum incrementis, jam diximus antea: quibus adjunguntur ætas, regio, tempus, anni &c. ſin morbus intermittat, ex acceſſionum incremento, & magnitudine, aliiſque adjunctis. Hoc idem certius conſtabit ex obſervatione dierum criticorum, & viribus ægri. quæ ſi validæ fuerint, irritenturq; ab humoris morbifici irritatione, criſin

O anti-

anticipabunt. Præſtantiſſimum futuræ criſis ſignum ex urinarum concoctione haberi ſolet. Morbus peracutus ſubitam habet criſin; die nimirum ſeptimo, indicato tamen à quarto. Si igitur primo die ſigna apparent bona, quarto die, aut citius, morbus finietur. ſynochus, exempli cauſſa, criſi tum terminatur. at verò ſimplici ſolutione, ſi morbus ſit parvus. tertiana continua magna tertio die expediri ſolet. At ſi primis duobus diebus nulla concoctionis appareant ſigna, verum quarto appareat in urinis nebula rubra, aut aliud aliquid; criſis fiet die ſeptimo, niſi peccatum aliquod intervenerit. Si autem morbus nec ſit adeò magnus, nec velox; differtur criſis in 9 diem. ſin ſeptimo die primum appareant in urinis concoctionis ſigna, undecimo aut decimo quarto ad ſummum die fiet criſis. Eadem eſt ratio aliorum quaternariorum, & ſep-

Digitized by Google

ſeptenariorum. Ergo ſi morbus ſit funeſtus, iiſdem diebus criticis, quarto, ſeptimo, aut ſimili, morietur æger. Non ſemel monui, concoctionis indicem eſſe urinam. nam in acutis morbis urinæ albæ, tenues, ſunt peſſimæ: ſicut tenues, rubræ, in ſtatu apparentes, non bonæ. Criſis quæ die non bono fit, conjuncta tamen cum aliis bonis ſignis, recidivam minatur; infida enim eſt. at ſi mala conjungantur ſigna, mors in propinquo. Tempus ſalutis, aut mortis, cognoſcitur ex comparatione virium cum morbo; ejuſdemque ſtatu. Nam ſi natura & morbus viribus ſint pares, longiori tempore opus eſt ad alterutrius victoriam. at ſi impares ſint, hoc eſt, ſi morbus ſuperaverit naturam, aut contra; cita erit victoria. Quicunque curantur morbi, quatuor illa tempora univerſalia pertranſeunt. Qui verò non ſanantur, poſtre-

mum tempus, nimirum declinationem, non attingunt. Sæpe enim in ipſo augmento mors contingit. ubi natura morbo longè eſt inferior, in ipſo principio, ſine criſi, mors evenire ſolet. Si ſtatum morbus ſuperarit, nihil eſt periculi; nam in declinatione non contingit mors. Ergò, ſi obſervaveris, quantum morbus naturam ſuperet, & quo tempore æger peſſimè ſe habeat; quando acceſſio recurrit, prædices mortis tempus. In lethali enim morbo, quia vires admodum ſunt debiles, mors citò advenit. Sin autem vires non adeò ſint debiles; quo die acceſſio recurrit, eo morietur. At ſi vires paullo validiores fuerint; differtur mors ad unum, vel alterum diem. Horam mortis diſces; ſi obſervaveris tempus particularis alicujus exacerbationis, quo maximè æger affligitur: tum enim quia maximè lan-

languet, morietur. languoris indicium eſt pulſus debilitas, animi deliquium, difficultas, reſpirandi, &c.

Institutiones Medicæ.

Liber V.

De Medendi Methodo.

Cap. I.

De Indicatione.

CUm Medicina circa corpus ægrum maximè verſetur, ut morbus nimirum profligetur, & natura conſervetur; cognitis morbo, cauſſa, locoque affecto, nihil ſupereſſe videtur aliud, quam medicamenti idonei & alimenti inventio. illo morbus corrumpitur, hoc facultas conſervatur. Hoc fieri nequit, ignoratis iis, quæ ſecundum & præter naturam homini accidunt.

Digitized by Google

dunt. Proinde Medicus, naturæ miniſter, nunquam hujuſmodi ſcopos attinget, ignoratis iis, quæ ante à nobis ſunt dicta. Itaque Empirici, Methodicique, hic vehementer errant. illi enim neglectis cauſſis, ſolâ experientiâ & analogiſmo ad ſalubria eligenda, & inſalubria evitanda, contenti ſunt: at hi, neglectâ experientiâ, rejectiſque cauſſis, & facultatibus, ſolam indicationem, à morbo & evidentibus communitatibus ſumptam, ad curationem ſufficere arbitrantur. Dogmatici, & rationales Medici, rationi experientiam adjungunt; conſiderantque non tantum cauſſas evidentes, ſed & abditas, non neglectis partibus, locis affectis, eorumque ſignis. Ratio enim & experientia ſe mutuo juvant. pulchrum enim eſt, judicium rationis ab experientiâ confirmari. Proinde dogmatici his duobus fulcris, experientiâ in ſingularibus, & ratione in univerſalibus, quaſi

 nixi,

Digitized by Google

nixi, multo felicius & accuratius curant.

Medendi methodus eſt *ratio inveniendi certa cuique morbo remedia, ſanitatis gratiâ, per convenientes indicationes.* Ratio hæc procedit à communibus, & generalibus indicationibus, ad ſpeciales, & proprias: nam non curatur homo in genere, ſed Socrates, & Plato. Scopus itaque omnium operationum eſt morbi depulſio, & ſanitatis introductio. Verum ſi vires penitus ſunt victæ, à prudente Medico nihil eſt tentandum: ſin autem conſtent, de mediis quibus morbus depelli poteſt, conſultandum. Conſiderandum ergò primum, quid agendum; alterandum, evacuandum, an reficiendum. Deinde quibus remediis: refrigerantibus, an pituitam, bilemq; evacuantibus; ſolidis, an liquidis. Tertiò quantum agendum; multumne, an parum. Quartò quomodo; an ſenſim, an verò confertim. Quintò quan-

quando; in principio ne morbi, an vero ſtatu. Poſtremò, quo ordine & via.

Indicatio eſt *agendi inſinuatio: ſive ratio dirigendi actionem; ſeu comprehenſio juvantis, juncta comprehenſioni ejus, cui conferre dicitur, ſive experientiâ, ſive & manifeſtâ ratiocinatione.* Indicatio omnis ex ſcopo naſcitur; nam ſcopus, eſt curationis indicatio; ſicut indicatio, eſt agendi inſinuatio. Indicatio omnis eſt indicantis ad indicatum relatio. *Indicans* eſt *aliquid in corpore, aut conſervandum, aut corrumpendum: cujus gratiâ aliquid fieri debet:* ſicut morbus indicat ſui corruptionem, & facultas conſervationem. *Indicatum* eſt *illud, quod indicanti prodeſt, eique aliquo modo congruit:* ut, venæ ſectio tollit febrem ardentem. Proinde indicatum omne eſt, aut ſimile, aut contrarium. Contraria tollunt morbum, ſimilia autē facultatē conſervant. Ex quibus colligitur; indicare eſſe manifeſtare quid conveniat.

Digitized by Google

Cùm curatio debeatur morbo, præſervatio cauſſæ, conſervatio facultati: totidem erunt in Medicina ſcopi; curare, præſervare, & conſervare. Sed quia non omnes morbi cauſſam habent; Medici duos ſcopos proponunt, facultatem, & morbum. Hunc quidem corrumpendum; illam autem conſervandam. Secundum ſicut fit per ſimilia, ita primum per contraria. Iam verò non ſufficit, ſcire, morbum calidum eſſe frigidis curandum, quod plebem non latet; ſed quomodo, quando, quo, refrigeratio ſit inſtituenda. quod fieri nequit, ignoratis temperamento, partibus, facultatibus, &c. à quibus non tam indicatio, quam coindicatio ſumitur. Primæ indicationes tres tantum ſunt, totidemque indicantia; morbus, cauſſa, (ſi ea eſt) facultas, quæ primò quid agendum ſit inſinuant. Ætas, temperamentum, ſexus, conſuetudo, coindicant, id eſt, oſtendunt quan-

quantum, quomodo, ſit agendum. nam coindicantia non per ſe, ſed per aliud indicant. Exempli cauſſa; cacochymia primò indicat evacuationem, coindicant vires robuſtæ, conſuetudo. *Contra indicans* eſt, quod per ſe primò impedit. *Correpugnans* quod ſecundariò impedit. Facultas enim victum indicat; ætas, temperamentum, coindicant. morbi vehementia contra indicat; ſymptomata verò correpugnant. Cum verò indicationes ſunt contrariæ, præferenda ea eſt, quæ magis urget. Exempli cauſſa, in ſtatu acutarum febrium, ſi magna ſit virium debilitas, facultas indicat victum, contraindicat vehementia morbi; quia verò vires ſunt conſervandæ, ante omnia cibandus eſt æger, nec permittendus ob inediam deficere. Verum ſi morbus ſit in fieri, ut dicunt, non autem facto eſſe, cauſſæ habenda eſt ratio, jungendaque curatio præſervationi: nam ſicut illa mor-

bum, ita hæc cauſſam innuit. Cum itaque morbus ſit ſanitati contrarius; prima maximè communis indicatio curativa, eſt ipſa contrarietas; quæ à morbo ſumitur: indicationes ſumptæ à parte affectâ, ætate, conſuetudine, ſunt magis particulares; determinant tamen curationis modum, & menſuram. quam nemo ritè intelliget, ignoratis temperamento, corporiſque natura: nam quanto morbus magis à naturâ receſſerit, intentioribus & vehementioribus remediis (hæc verò ſunt contraria) indiget. Si ergò quis febricitet; quantum ſit refrigerandum, indicat temperamentum naturale, ad quod medicamentis frigidis eſt reducendus; non neglectâ magnitudine morbi, & ſitu partis. Ubi ergò cognoveris quouſque refrigerandum ſit, remedia accommodata ſunt inveſtiganda, eorumque doſis inſtituenda. & quanquam inexplicabilis ſit menſura remediorum.

Digitized by Google

rum in ſingularibus, nec ſcientiâ aliquâ comprehenſibilis; artificioſâ tamen conjecturâ, uſurpanda venit: hæc nititur ratione, & experientiâ. Sicut morbus remedium indicat; ita modum utendi indicant vires, & ſitus partis affectæ. Tempus utendi præſcribunt morbi tempora; ſicut locum, & vias, corporis figura, & partium ſitus. Verum quid primò, ſecundóve agendum, indicat quod maximè urget. Indicationes à parte affectâ ſumptæ, ſunt magni momenti. conſiderantur enim ejus temperamentum, ſenſus, figura, ſitus, & actio læſa. Temperamento adjunge ſexum, ætatem, conſuetudinem, vitæ inſtitutum &c. Gravius ſiquidem ægrotat, cujus temperamento, conſuetudini, ætati, morbus eſt diſſimilis, quam ſimilis. Ergò ſi frigidus temperamento incidat in febrem; periculoſiùs ægrotat, quam calidus, frigidioraque requirit medicamenta. Idem de:

de ætate judica. Si enim ſenex febricitet, frigidiora poſcit remedia, quam juvenis. Eadem eſt partium conditio. os enim fractum validiora exſiccantia poſtulat, quam cutis ſciſſa. Sin actionem ſpectes; videndum, ea ne privata ſit & uni parti inſerviens: tum enim audaciùs alterandum, laxandum etiam: ſin autem actio ſit publica, ut cordis, cerebri; tum eadem timidiùs facienda ſunt. nec tamen ſimul, ſed per intervalla, parſque corroboranda eſt benignis medicamentis. Figura partis adeò eſt conſpicua, ut plebem non lateat. Quivis enim novit, majora emplaſtra adhibenda eſſe ventriculo quam lieni; & ventriculum purgari tum ſupra, tum infra; pectus autem ſupra tantum. Idem de ſitu ſtatuendum. nam ſi ſuperficies corporis ſit violata; levioribus medicamentis eſt utendum, quam ſi pars corporis profunda. ita ad purgandum ventriculum opus eſt debiliori-

lioribus, quam ad uterum. Si ſenſum conſideres; quanto is acutior, tanto benignioribus, minuſq; acribus utendum eſt remediis. Ergò ſi inteſtina malè habeant, validiora exigunt, quam ventriculus. hic enim acribus medicamentis (eſt enim acerrimi ſenſus) irritatur. In quibus obſervandum ſemper, ut reducatur æger ad illud temperamentum, qnod habuit, cum in morbum incideret. Intemperies quælibet poſcit contraria in eodem gradu medicamenta. Ceterum ſi foveatur ab aliquâ cauſsâ, ea prius eſt auferenda. nunquam enim curabitur morbus (à quo prima indicatio ſumitur) manente causâ antecedente. quod dum fit, tutius multo eſt calefacere, quam refrigerare: ſicut humectare, quam exſiccare. Calida enim, aut humida intemperies, facilius curatur, quam frigida, aut ſicca: ſiccitas enim, & frigus, ſunt inimica vitæ. Eadem eſt indicationis ratio

in

Digitized by Google

in morbis malæ compoſitionis, & ſolutione continui. Nam meatuum dilatatio indicat aſtringentia; obſtructio, aperientia; ſolutio continui, unientia. Compoſitorum morborum, compoſitæ ſunt indicationes: ſingulisque ſua remedia ſunt præſcribenda. Contingit interdum duos morbos ita eſſe connexos, ut unius curatio, ſit etiam alterius: nam curata inflammatione pleuræ, febris ceſſat. Idem de peripneumoniâ ſimilibuſque judicandum. Interdum ſecus evenit; ut ſi pars inflammata ſit cum ulcere cavo. nam ſeorſum & prius inflammatio eſt ſedanda; cujus ablatio nihil commune habet cum conſolidatione ulceris.

CAP. II.

De indicatione præſervativa, & conſervativa.

INdicatio præſervativa ſumitur à cauſâ morbi antecedente, quam con-

continentem diximus vocari. Cauſſa morbi formalis eſt ipſe morbus, qui curationem exigit; de qua ſuperiori capite. Antecedens eſt prava corporis diſpoſitio; plethora nimirum, aut cacochymia. Quæ ſi adeò manifeſtè actiones non lædant, ſunt cauſſæ tantùm antecedentes, conjunctæ cum neutra corporis diſpoſitione: ſin verò manifeſtè actiones lædant, (quod ſine morbo fieri nequit) cauſſæ fiunt morborum continentes: ex quibus oriuntur indicationes præſervativæ. Ad cauſſas antecedentes referunt multi calculos, vermes, &c. Indicatio hinc ſumpta eſt multiplex, pro varietate cauſſarum: earum enim conſiderantur, quantitas, qualitas, locus, motus, ſubſtantia. Si enim eſt aliquid toto genere præter naturam in corpore, ut calculus, lumbricus; indicat ſui ablationem. ſin vapor, aut flatus, diſcuſſionem inſenſibilem. ſi ſanguis juſto ſit frigidior; in-

dicat

dicat calefaciens proportionatum: ſin craſſus ſit, medicamentum attenuans; ſin malignus, refrenans, aut evacuans; & ita deinceps. Jam ſi deficiat ſanguis, indicat alimentum inſtaurans: ſin redundet, evacuans. Et quia varia eſt redundantia; nimirum bilis, pituitæ &c. ſinguli humores indicant convenientia remedia, rhabarbarum, agaricum &c. Si locum conſideres; is eſt vel prima regio corporis, vel ſecunda, tertia, aut pars corporis, ut pulmo; quæ omnia ſuas privatas habent indicationes. Et ſicut ſanguis qualitate peccans indicat purgationem: ita quantitate ſi peccet, indicat phlebotomiam. Hæc enim duo, plethora, & cacochymia, indicant ſemper ſectionem venæ, & evacuationem. &, ſi cacochymia ſit primæ regionis; indicat, evacuationem eſſe inſtituendam aut vomitu, aut dejectione. ſin in habitu corporis; ſudoribus, & ita deinceps.

Iam

Iam ſi materia moveatur, pro ejus motus varietate, variat indicatio. Nam ſi materia feratur ad os ventriculi, ſed imperfectè; vomitus præſcribendus. ſin motus ſit immodicus; indicat remedium compeſcens eum. ut in fluxu ſanguinis per nares videre eſt. Et quia humores fluunt ab unâ parte corporis in aliã, gignuntque inflammationes; conſiderandæ ſunt partes mittentes, recipientes, & viæ per quas fit motus. Pars mittens indicat revulſionem; recipiens aſtrictionem, derivationem. ipſæ denique viæ medicamentum exigunt intercipiens, &c. Revulſio (eſt autem tractio humoris fluentis ad locum oppoſitum affectæ parti) fit phlebotomiâ, ſcarificatione, frictionibus, vinculis dolorificis, & quidem in principio. Adſtrictio partis affectæ, fit medicamentis repellentibus; craſſis nimirum, frigidis, terreiſque. hæc enim & hujuſmodi partem affectam corrobo-

roborant. Eadem eſt viarum ratio. Sicut motu peccat humor, ita quiete. Nam ſi ſanguis non fluat per uterum, aut hæmorrhoides; incitandus eſt medicamentis calefacientibus, attenuantibus &c. ſin ſit parti impactus; indicat ablationem per ipſam partem, aut ſenſibiliter, aut inſenſibiliter.

Purgationis tempus volunt Medici eſſe, cum materia eſt cocta; niſi forſan turgens ſtatim eſt educenda. Quantitatem præſcribunt morbi magnitudo, & facultas. Magnus morbus conjunctus robuſtis viribus indicat magnam evacuationem. Contraria eſt indicatio, ſi cum morbi magnitudine conjuncta ſit virium debilitas. Et ita quidem ſe res habet in ordinariâ legitimâque curatione: quæ primò aufert cauſſas morborum, tum morbos: quibus ſublatis, ſtatim evaneſcunt ſymptomata. quæ ſi vehementia ſint, ut dolor magnus, vigiliæ, à quibus

bus imminet vitæ periculum; iis primò occurrendum neglecto morbo, & cauſſa; ſed hic curandi modus, quanquam ſæpè neceſſarius, illegitimus tamen eſt, & extraordinarius.

Indicatio conſervativa ſemper debetur facultati; quæ eſt conſervanda ſimilibus, ſeu victu & alimento reficientibus. In victu inſtituendo quatuor conſiderantur. Primum eſt forma victus; hic major aut minor, quam poſtulant vires, aut æqualis. Nam in victu pleno, plus reponitur ſubſtantiæ, quam eſt à morbo ablatum. in tenui plus ſubſtantiæ aufertur à morbo, quam reponitur à cibo. in victu æquali, tantum reponitur, quantum aufertur. Forma victus eſt inſtituenda, prout vires poſtulant, & morbus permittit. Norma victus in ægris eſt extremus morbi vigor. quo tempore tenuiſſimo victu eſt utendum, in comparatione ad alia tempora; niſi ſit inflamma-

flammatio conjuncta. ſicut in pleuritide, quo in morbo minus in principio, quam ſtatu, eſt edendum. Secundum eſt victus materia, craſſa, tenuis, mediocris. Nam ſpiritus ſi deficiunt, requirunt alimentum ſpirituoſum. ſin partes ſolidæ ſint inſtaurandæ, ut in Phthiſi; alimentum indicatur craſſum & ſolidum, ut caro vitulina. Tertium in victu obſervandum, eſt ejuſdem qualitas, ut ſcilicet alimentum ſimile ſit naturę, & contrarium morbo, ejuſdemque cauſſæ. Quartum eſt modus: hoc eſt, an multum, an parum ſit dandum; an ſæpe, an rarò. Quæ indicantur à virium magnitudine, & indigentia. nam ſi vires ſint debiles, & magna eſt indigentia; parum & ſæpè eſt nutriendum. ſin indigentia non ſit magna, ſed copia ſit boni ſucci in corpore; parum, & rarò. in quibus ſemper habenda eſt ratio temporis, ætatis, &c. Poſtremum eſt tempus opportunum; hoc eſt, illud, quo minus

nus à morbo gravatur æger: ut in intermittentibus febribus eſt declinatio: aut aliâs hora conſueta in ſanitate.

Cap. III.

De Medicamentis in genere.

MEdicamenta propriè dicuntur, quæ corpus humanum alterant, ſed non corrumpunt. Venenum, quòd utrunque facit. Alimentum, quod in naturam corporis perfectè converti poteſt. Sicut hujus natura eſt pati; (nam alimenta alterantia, ſunt etiam medicamentoſa, ut lactuca, acetoſa) ita contra medicamenti & veneni eſt agere. Alimenti cum corpore noſtro eſt aliqua ſimilitudo, interdum major, interdum minor. Venenum, & medicamentum, contrariantur: magis tamen venenum, quam medicamentum: quanquam medicamentum,

tum, ſi nimium ſit potens, etiam vires diſſolvit, mortemque accerſit, ut opium; quod tamen, ſi juſtâ quantitate ſumatur, prodeſt vehementer. Tantum obſerva, quod uni ſpeciei, exempli cauſſa humanæ, eſt venenum; alteri ſpeciei, ut caninæ, eſſe poteſt alimentum. Medicamentum agit in noſtrum corpus, non tantum formâ ſubſtantiali, ſed & qualitatibus eam conſequentibus, quemadmodum & elementa. Qualitates hæ ſunt proximæ alterandi cauſſæ: iis enim proximè corpus humanum afficitur. Hæc dicuntur in medicamentis eſſe potentiâ, & virtute non actu. Quod tamen commodè eſt intelligendum: nec enim calor piperis dicitur potentiâ ineſſe, quaſi noſter ventriculus eum generet; ſed quia ſopitus non prius agit, quàm à noſtro calore leviter alteretur. Atque hinc fit, quod glacies dicitur actu frigida, & ignis actu calidus: quia ad manifeſtandas operationes,

tiones, non egent aliquâ præviâ corporis noſtri alteratione. Ergò noſter calor, nullas medicamento vires impertit. Hujus temperies exigitur ad corpus humanum, quod eſt regula & menſura. omne enim, quod corpus humanum temperatū calefacit, calidum dicitur. Idem judicium eſto in reliquis qualitatibus. Videndum tamen, an per ſe hujuſmodi effectus producant, an verò per accidens. Illud per ſe calefacit, quod immediatè nullius alterius rei interventu hoc facit, ut piper. Quod autem calefacit interventu alterius, per accidens calefacit: ſicut veſtes; quæ non calefaciunt imprimendo calorem, ſed caloris & ſpirituum effluxum impediendo, & reprimendo. Nunquam enim unum contrarium alterum generat, ſed corrumpit. ergò ſi quidpiam calefaciendo refrigeret; per ſe calefacit, per accidens verò refrigerat. ſin refrigerando calefaciat, per ſe refrigerat,

P gerat,

gerat; per accidens autem calefacit. Diſtinguuntur qualitates, in occultas, & manifeſtas. Hæ dicuntur non tantum primæ, ſed quæ primas immediatè conſequuntur, ut mollities, durities, cæteræque temperamentum comitantes. De occultis dubitatur. quidam omnino eas tollunt, aiuntque, omnes actiones à manifeſtis fieri qualitatibus: quidam admittunt, aſſeruntque, à formâ ſubſtantiali proximè manare, ſicut vis ſtupefaciendi in opio. hæc occulta qualitas, non ſenſu, non ratione, ſed ſolâ experientiâ deprehendi creditur; & quanquam à temperamento non immediatè fluat, ſupponit tamen debitum commodumque temperamentum.

Digitized by Google

Cap. IV.

De medicamentorum facultatibus in genere.

MEdicamenta alia ſimplicia ſunt, alia compoſita. Illa dicuntur quæ natura fiunt, nec arti quicquam debent, quemadmodum lactuca, mandragora: quæ quidem non ſunt corpora penitus ſimplicia, omnis compoſitionis expertia; (revera enim lactuca eſt compoſita, non tantum ex materia & forma, ſed etiam ex elementis:) ſed dicuntur talia comparatè, ad compoſita nimirum, quæ arte & induſtriâ humanâ fiunt; ut theriaca, diaphœnicum. De ſimplicibus primò agendum.

Diximus, medicamentum ſimplex conſtare calido, frigido, humido, ſicco. cujus temperies exigitur ad corpus humanum temperatiſſi-

mum. Temperatum illud dicitur, quod corpus humanũ, nec calefacit, nec humectat; aut quod corporis humani temperati calorem, frigus, nec auget, nec minuit, ſed conſervat tantum, & quoad ſenſum ſimile videtur: ac proinde in qualitatibus hîc eſt magna nobiſcum ſimilitudo: quod ſi accedat porrò ſubſtantiæ ſimilitudo, erit alimentum. Intemperatum eſt, quod corpori humano admotum, ejus frigus, aut humiditatem auget. Temperatum medicamentum eſt regula intemperati. Temperatum interdum eſt omnibus qualitatibus, interdum unâ, alterâve. illius exemplum eſt cera. hujus eſt lini ſemen. quod licet calefaciat, ſiccitate tamen & humiditate temperatum eſt. Quicquid ergò auget noſtrum calorem, dicitur calidum: quod humiditatem, humidum: eadem eſt ſimilium ratio. Tale eſt quadruplex; calidum, frigidum, humidum, ſiccum. ſed quia

alia

alia aliis ſunt calidiora, oriuntur quatuor gradus medicamentorum. Primus gradus dicitur receſſus primus à corpore temperato. Quod ergò eſt primo gradu calidum, aut ſiccum, obſcurè tantum corpus humanum alterat. quod ſecundo gradu, manifeſtè alterat, ſed ſine noxâ. tertius gradus, eſt tertius à temperato corpore receſſus. Medicamentum ergò tale, corpus humanum vehementer alterat. Ultimus receſſus, & ſummus, eſt quartus gradus, quo corpus humanum non tantùm alteratur, ſed & corrumpitur. Hi ſunt generales medicamentorum ſimplicium ordines in qualitatibus primis, ad quas exiguntur ſecundæ. Medici longo uſu edocti, ſingulos gradus dividunt in tres manſiones, principium, medium, & finem: obſervarunt enim, non omnia primo gradu frigida, æqualiter refrigerare; & hinc factum eſt, ut latitudinem illam hoc, quo diximus.

mùs modo, partiti fuerint. Nam quæ in principio primi gradus, non adeo conſpicuè alterant, ſed in medio evidentius, in fine autem evidentiſſimé. Varietas graduum eſt magis conſpicua in qualitatibus tam activis, quam paſſivis. Hæ enim remiſsè agunt, nec perfectè attingunt quartum gradum. Si modum ſubſtantiæ in medicamentis ſpectes; quædam ſunt eſſentiæ tenuis, quæ facilè in tenues partes reſolvuntur: quædam ſubſtantiæ craſſæ, quæ difficulter ſolvuntur, nec penetrant corporis noſtri partes: quædam ſunt mediocris, quæ medio ſe habent modo. Aliter Philoſophi ac Medici ſentiunt de ſecundis qualitatibus, & facultatibus. Illi enim omnes eas vocant ſecundas, quæ ſequuntur primarum inter ſe actionem; ut odorem, ſaporem, colorem &c. qui quidem vim agendi habent in propria ſenſoria, nō verò in aliam corporis partem; nam ſapor afficit

ſolam

ſolam linguam, odor proceſſus mammillares. Hi eas ſolas, quæ viribus primarum qualitatum agunt. Dicuntur autem activæ, quia ſubjectum, iis præditum, aptum eſt, ut certo & determinato modo in corpus noſtrum agat. Hujuſmodi facultates ſunt variæ; emolliens, indurans, intendens, relaxans, condenſans, rarefaciens, incraſſans, attenuans, attrahens, repellens, dolorem leniens, irritans &c. quæ non ſunt accipienda, quaſi mollities, durities, tenuitas, vim habeant agendi; ſed quod vis extenuandi, & emolliendi, in medicamentis procedit à qualitatibus activis, pro modo materiæ. Actiones enim hæ ſecundæ ſequuntur primarum actiones: nam calidum medicamentum primò calefacit; poſtea, ſi tenuis ſit eſſentiæ, attenuat, rarefacit, diſcutit. Unde conſtat, actiones ſecundarum qualitatum oriri à medicamentorum temperamentis. Si itaque

que quidpiam eſt in corpore durum præter naturam; indicat medicamentum, non molle, ſed emolliens: ſi quid verò craſſum; non tenue, ſed attenuans. Sunt itaque ſecundæ qualitates, peculiares diſpoſitiones primarum in materiâ. Tertiæ facultates ſunt, quæ determinatum membrum reſpiciunt, aut alioqui determinatam materiam. Agunt hæ qualitates, non modo occulto, ſed evidente; detergendo nimirum, aperiendo &c. Reſpiciunt interdum contenta in corpore, ut medicamenta ſemen excitantia, aut urinas moventia, calculos frangentia: interdum ipſa membra, unde medicamenta cephalica, cardiaca &c. quia manifeſta qualitate tales partes afficiunt. Omnes hæ qualitates evidentes promanant à primis medicamentorum facultatibus pro materiæ diſpoſitione. Nam materia interdum eſt craſſa, interdum tenuis, interdum mediocris; pro

quâ

quâ varietate medicamentum actiones ſuas variat. nam calor aut frigus in materia denſâ aliter agunt, quam in tenui. Medicamentum tenuis ſubſtantiæ, ſi ſit ſimul calidum, ut fæniculum, validè attenuat, diſcutit, aperit. Quartæ medicamentorum facultates à temperamento non oriuntur, ſi optimis creditur Medicis, verùm à formâ ſubſtantiali: nec agunt manifeſtâ qualitate, ſed occultâ. ſicut in medicamentis electivè purgantibus videre eſt, & in venenis, & alexipharmacis.

CAP. V.

De Facultatibus medicamentorum in ſpecie.

OMiſſis primis medicamentorum facultatibus, reliquas ordine perſequamur. Medicamentum indurans eſt, quod corpus minus aptum reddit, ut tactui cedat: non qui-

Digitized by Google

quidem diſſolvendo tenues partes, aut eas exprimendo, ſed manente humido naturali, corpus ineptum reddit ut cedat tactui. Tale eſt frigidum & humidum, ſine evidente adſtrictione, ut portulaca, lenticula paluſtris. Emolliens contra calidum eſſe debet, non tamen ultra ſecundum gradum, in paſſivis qualitatibus temperatum; ſine tamen partium craſſitie: ut ſemen lini, althæa. Sed quia multa emollientia diſcutiunt, & calefaciunt, ut medullæ; fit ut cum relaxantibus confundantur. Intendens eſt triplex. Primum exſiccans, cum calor humorem conſumit. Secundum congelans, cum frigus humorem exprimit, aut concreſcere facit. Tertium eſt replens ex humorum affluxu. Hujus contrarium relaxans, triplex quoque eſt; humectans, calefaciens, evacuans. Quæ exſiccatione intenduntur, humectantibus relaxantur; talia ſunt viola, malva recens.

Quæ

Quæ frigore; relaxantur calidis, & emollientibus; ut anetho, meliloto. Quæ intenduntur humoris repletione, relaxantur evacuatione, eaque ſenſibili, vel inſenſibili. Materia in habitu corporis, emollientibus, rarefacientibus, diſcutientibus, inſenſibiliter diſcutitur. Quod ſi inſenſibiliter fieri nequit, tum materia eſt præparanda maturantibus pus &c. Quanquam hæc ita ſe habent, propriè relaxantia ſunt, quæ rarefaciunt, & attenuant, diaphoretica vulgò dicta: medicamenta ſcilicet humores in halitus diſſolventia. talia ſunt tenuis ſubſtantiæ; calida tamen non ultra tertium gradum. Hæc enim penetrando, craſſa, ſolidaque attenuant, poroſaque reddunt. Horum alia aliis ſunt potentiora. hujus generis ſunt camomilla, melilotus. Quæ modicè rarefaciunt, cutemque contemperant, Anodyna dicuntur, & quidem propriè. Dico propriè;

nam alias omne, quod dolorem quoquo modo ſedat, anodynum dicitur: & hoc modo narcoticum, ut opium, eſt anodynum; quia ſenſum doloris aufert. Ita quicquid cauſſam doloris corrumpit, anodynum cenſetur. nam ſi dolor ſit è calore, qui frigore corrumpitur, medicamentum frigidum eſt anodynum. at, ut dixi, propriè anodyna ſunt paregorica, quæ rarefaciendo, cauſſam doloris demulcent. Contra, denſantia & incraſſantia ſunt, quæ poros cogunt, & humores addenſant. talia ſunt frigida, craſſarumque partium, ut plantago, myrtus, quæ modicè aſtringunt. Referuntur huc admodum refrigerantia, papaver, mandragora; nam & hæc condenſant. Ad rarefacientia pertinent attrahentia, quæ humores ad cutem attrahunt manifeſto calore; ut ſinapi, euphorbium. quæ quanto calidiora, tanto validius attrahunt: quo pertinent dropaces, ſinapiſmi,

phœ-

phœnigmi. Horum contraria repellentia, frigida ſunt, craſſarumque partium; hujuſmodi enim humores ad interiora trudunt, ut hyoſcyamus. Diſtingue inter medicamentum repellens & aſtringens. Aſtringere enim, eſt humores cogere, membrumque firmare; quod faciunt nonnulla calida; ut ſpica, aloë. quanquam non ſit negandum, validè adſtringentia, eſſe etiam repellentia: talia ſunt frigida, ſubſtantiæque terreſtris, ut galla, acacia. Quæ minus validè adſtringunt, ut ſantali, corroborantibus accenſentur. Quicquid eſt, hæc duo admodū interſe ſimilia ſunt; ſicut oblinentia, incraſſantia, & oppilantia. Aſtringere enim communiter dicitur, quicquid cogit, roborat, intendit, condenſat, humores incraſſat, repellit, refrenat: propriè verò, quod venarum orificia adſtringit, & contrahit, ſenſibileſque evacuationes cohibet. Tale autem eſt naturæ

naturæ terreſtris; ut medicamenta auſtera, & acerba: hæc enim venarum orificia claudunt; ſicut quæ aperiunt, calida & mordacia exiſtere neceſſe eſt, ut cœpa, allium. Quibus ſimilia ſunt extergentia, & deobſtruentia. illa ſuperficiem corporis, & externos meatus, expurgant; hæc autem internas cavitates. utraque calida ſunt, & ex parte mordacia; qualia ſunt amara & nitroſa. Quæ extenuant medicamenta & incidunt, ejuſdem farinæ ſunt cũ deobſtruentibus; niſi quod interdum ſint frigida, ut acetum. Lubricans eſt, quod vias inæquales levigat; adeò ut humores nequeant adhærere: quale eſt pingue & lentum medicamentum, modicum habens calorem; ut malva, althæa, prunum. Abluèns eſt, quod ſuperficiem partium expurgat; non oblinendo, ſed ſordes diluendo. Eſt autem naturæ aqueæ, minuſque calidæ; ut ſerum lactis, jus Mercurialis.

Digitized by Google

lis. Detergens potentius eſt abluente; altius enim penetrat, ſubitque tenuiores meatus, & ſordes educit: calidum tamen eſt: ut centaureum minus; mel. Hiſce tribus medicamentorum generibus, ſupra memoratis, quæ alvum manifeſta qualitate evacuant, nonnulli addunt comprimentia, (de quibus admodum dubitatur) quæ vaſa contrahendo, humores contentos exprimunt; ut tamarindi. Emplaſtica medicamenta ſunt, quæ tenues humores incraſſant, ſuaque tenacitate meatus infarciunt ſine adſtrictione. Quorum alia terrea, & ſicca ſunt, ſine manifeſto calore, aut frigore, ut tutia, terra Samia: alia terrea, & aquea ſimul; nempe lenta, & viſcida; ut cera lota. Sanguis Draconis, & alumen, magis adſtringentibus annumerantur; coarctant enim vias. Suppuratoria medicamenta ſunt, quæ humores extra vaſa corruptos in pus convertunt. Talia

lia ſunt ſimillima corpori noſtro; ejus enim calorem nec augent, nec minuunt, ſed eodem ſtatu conſervant; ſuntque temperata, ſed emplaſtica; ut liliorum radix. Medicamenta ſarcotica non dicuntur, quod carnem generent; (carnis enim generatio, ſicut & puris, naturæ eſt opus) ſed quod humores in carnis generatione exſiccant ſimul, & tergent; ſine morſu tamen. Nam in carnis generatione, eſt duplex excrementum: unum tenue, alterum craſſum: ulcus verò ut ſanetur, utroque liberari debet; nam & exſiccandum eſt, & ſordes auferendæ. Talia ſunt farina fabarum, ſarcocolla. His opponuntur exedentia medicamenta, quæ callos, verrucas, abſumunt; quæ igneæ ſunt ſubſtantiæ, pyroticiſque accenſentur. Tale eſt vitriolum, ærugo, alumen uſtum. Sub pyroticis multa continentur admodum inter ſe ſimilia: idem enim calor, pro ma-

teriæ

teriæ varietate, varios affectus inducit. Ergò rubrificantia, calore ſuo humorem ad cutem trahunt, eamque rubore inficiunt; non tamen excedunt. unde nonnulli ſub attrahentibus ea comprehendunt. Sunt quidem talia admodum calida, ſed tenuium partium, ut ſinapi. Secundò ſunt veſicatoria, quæ humores non tantum ad cutem evocant, ſed & puſtulas faciunt. Hæc, ut ſuperiora, calida ſunt, ſed partium craſſiorum; ut mel anacardinum. Septica altius penetrant, carnemque tenuem colliquant. proinde calidiora ſuperioribus, & craſſiora, ut arſenicum. Poſtremò, hujus generis ſunt eſcharotica, pyroticorum vehementiſſima. Hæc ad ferri candentis ſimilitudinem cutem exurunt: unde & craſſa, & mordacia exiſtere neceſſe eſt; ut calx viva Epulotica medicamenta ſunt, quæ repleti ulceris ſummam carnem in cicatricem indurant; ut ceruſſa.

Digitized by Google

ruſſa. Talia ſicca ſunt, & craſſæ ſubſtantiæ, ſine manifeſto calore, & frigore, atque adeò morſu. Glutinantia poſtremò ſunt, quæ cruenti vulneris labia uniunt, ut plantago, verbena. Hujuſmodi conſtant craſsâ ſubſtantiâ, quæ deſiccant ſine morſu, & calore; proinde terrea ſunt, & ex parte viſcida.

Atque hæc de ſecundis medicamentorum facultatibus; ad tertias pergamus.

Διυρητικὰ ſeu urinas moventia quæ ſerum ita præparant, ut copioſè & facilè ad renes feratur, non tamen obſtructiones aperiendo: Talia medicamenta ſunt tenuium partium, calida tamen, & ſicca: hæc enim non tantum ſanguinem extenuant, ſed & fundunt, ut daucus, ſeſeli, ſemina calida vulgò dicta, quæ validè urinas movent, vaſaque urinaria expurgant, calculos etiam frangunt manifeſtâ qualitate; ut radices eryngii, graminis. Hujuſmodi

medi-

medicamenta ſunt temperatè calida & humida.

Franguntur calculi occultâ proprietate, qualis eſt in ſanguine hyrcino. Non negandum tamen, & alia admodum calida, ut vitrum combuſtum, cantharides, calculum diſſolvere, abradendo eum, & in pulverem redigendo.

Quæ menſes movent, propriè ſunt medicamenta obſtructiones uteri aperientia, & abſtergentia, ſanguinemque eo deducentia: calida nimirum admodum, non tamen ſubſtantiæ tenuis, ſed nonnihil craſſæ & ſiccæ; ut ſabina, pulegium. Hiſce ſimilia ſunt, quæ lac & ſemen promovent. Deducunt enim ſanguinem ad mammas, & teſtes. Non ſunt tamen tam calida & ſicca: hoc enim modo eruca ſemen excitat, & fæniculum viride lac.

Generatio lactis, ſicut & ſeminis, fit ex optimis alimentis, naturæ opera. illorum tamen provacatio, & dedu-

deductio ad convenientia membra, medicamentorum vi contingit ſæpe.

Bechica, & ſputum moventia, duûm ſunt generum. alia enim craſſam & viſcidam pituitam incîdunt, & extenuant; ſed ſine vehementi calore, ut hyſſopus. alia pituitam tenuem incraſſant leviter, & leniunt; ut nux pinea, amygdala, tragacantha. Huc pertinent errhina, quæ tenuem pituitam, circa meninges deliteſcentem, expurgant per nares; talia calida ſunt, & acria; incîdunt enim, & abſtergunt.

Sunt & medicamenta partes corroborantia, manifeſta aliqua qualitate; eas nimirum adſtringendo, ne ſpiritus diſſipentur; qualia ſunt hepatica, & cardiaca. Illorum exempla ſunt agrimonia: horum, roſa, margarita.

Cardiacis adnumerantur, quæ tetros ſpiritus diſcutiunt, ut viola; aut bonos reficiunt, ut cinnamomi aqua;

qua;

Digitized by Google

qua; aut denique venenum debellantia, ut theriacalia, & bezoardica vulgò dicta.

Diximus, eſſe quartas medicamentorum facultates, conſequentes immediatè formam ſubſtantialem rei, non autem temperamentum. Hæc afficiunt noſtrum corpus, non tantùm manifeſtè, ſed & occulta ratione. Agunt in noſtrum corpus dupliciter, vel movendo localiter aliquid in eo, aut ſimpliciter tantùm alterando, ut theriaca. Quædam enim retinent aliquid, quod ex corpore exiturum erat, ut lapis aëtites, brachio alligatus, conceptum retinet. Alia attrahunt; ſicut ſcorpius, morſui à ſe facto impoſitus, venenum attrahere dicitur, ſimilitudine ſubſtantiæ. idem faciunt & alexiteria quædam. Quædam trahunt ad ſe aliquid, aut, ut aliis placet, incitant facultatem ad expulſionem; ut medicamenta electivè trahentia ex corpore, aut certa corporis parte, deter-

determinatum humorem; ut ſenna, rhabarbara, agaricus. quæ licet habeant primas & ſecundas medicamentorum in ſe facultates, iis tamen non trahunt determinatum humorem, ſed quarta iſta occulta, & ſpecifica.

Ad horum cenſum pertinent Venena, Antidota, eaque medicamenta quæ determinatam partem reſpiciunt. Quanquam omnia venena immediatè cor oppugnent; non tamen eodem modo hoc faciunt. Quædam enim ſunt calida, quædam frigida, nonnulla ſicca; nulla tamen deſtituuntur occulta proprietate, quæ conſpirat cum manifeſta. at ſerpentum venena, occulta tantum proprietate vires conficiunt. His opponuntur alexiteria propriè dicta, quæ venenum aut frangunt, alterantque, ut theriaca; aut evocant, ut ſcorpius morſui ſuo impoſitus.

Poſtremò, quæ reſpiciunt determina-

minatam partem medicamenta, hoc faciunt occulta ſympathia, vel antipathia. illo modo ſalvia capiti conducit; pulmo vulpis, pulmonibus. hoc, cantharides nocent veſicæ. Quæ dixi de medicamentorum facultatibus, vulgò à medicis fere recipiuntur. negandum tamen non eſt, multa eſſe, quæ receptam ſententiam dubiam reddere poſſunt. de quibus alii.

CAP. VI.

Modus explorandi vires medicamentorum.

MEdicamentorum facultates eæ, quæ tota ſubſtantia, ut loquuntur, agunt, experientia ſola cognoſcuntur. Verum primæ, & ſecundæ, non experientia tantum, ſed & ratione. ſed ſine experientia vires nunquam dextrè cognoſcentur. tutius eſt, experientia niti ſine ratio-

Digitized by Google

ratione, quam contra. Notum eſt ex Philoſopho, accidentia rerum deducere in earum cognitionem. Cum verò in medicamentis varia ſint accidentia, colores, odores, gravitas, levitas: nulla tamen æquè commodè, & certò, deducunt in cognitionem temperamentorum, quam ſapores. Quorum materia eſt pars terreſtris ſicca, diluta tamen humore aqueo: unde diſtinguuntur ſapores ex varia miſtione humidi cum ſicco, à calore facta. Nec ſapor eſt qualitas ſecunda, orta ex actione caloris in ſicco terreo, aqua perfuſo.

Saporum alii calidi ſunt, ſeu caloris dominium ſequuntur, ut acer, amarus, ſalſus. alii frigidi, ut acidus, auſterus, acerbus. alii temperati, ut dulcis, pinguis, inſipidus, ſi modo ſapor dicendus. Acris, qualis in pipere & cæpa deprehenditur, linguam cum calore penetrat, inflammat, mordet. Hujus generatio

tio eſt ex ſicco terreo, humido permixto, à calore attenuato adeo, ut partes efferveſcant: partes dico terreſtres & aqueas. Ergò acria medicamenta, ſunt calida, ſicca, tenuium partium: habent autem vim rarefaciendi, attenuandi, diſcutiendi. Amarus, qualis in colocynthide, linguam detergit, abradit, exaſperatque: cujus cauſſa eſt vehemens calor humorem conſumens: eſtque medicamentum amarum, calidum, ſiccum, ſubſtantiæ terreſtris, ad ſimilitudinem fuliginis aut cineris. minus penetrat, & rarefacit, quam acre: incidit tamen, detergit, meatus aperit. Huic vicinus eſt ſalſus, genitus ex ſicco terreo, copioſo humore perfuſo, à calore humorem quidem aſſante, non tamen conſumente, ſed potius cogente cum parte terreſtri. Proinde ſalſa, ſunt ſubſtantiæ quaſi mediæ, nec plane aqueæ, nec terreæ: unde exſiccant, abſorbent, incîdunt. quæ indicant,

 eſſe

eſſe naturæ magis craſſæ, quam tenuis.

Hi ſunt ſapores calidi, ſequentes nimirum caloris dominium.

Frigidi ſapores ſunt totidem. Quorum duo priores admodum ſunt ſimiles; auſterus & acerbus; uterque enim adſtringit. Verum acerbus (qualis galla immatura) linguam contrahit, & exaſperat, & quidem validè: at auſterus (qualis in malo cydonio) eadem præſtat, ſed moderatè. Utriuſque cauſſa, eſt debilis calor, qui non ſufficienter attenuat, & permiſcet partes terreſtres cum aqueis, verum ſinit illas his dominari. quanquam in auſtero major ſit attenuatio, & permixtio humidi cum ſicco, quam in acerbo. Medicamenta ergò auſtera, & acerba, craſſa ſunt, & terreſtris naturæ; frigida tamen, & ſicca: unde fluxiones ſiſtunt, viaſque claudunt. magis acerba, minus auſtera.

Acidus ſapor, qualis in oxalide, lin-

linguam ſine caloris ſenſu, altè, facileque penetrat. Oritur ex ſicco terreo, tenui, ſed copioſo tamen humore perfuſo, à calore attenuante, non tamen perfectè elaborante, qui priuſquam terminum aſſequatur deficit. Medicamenta ergò acida, tenuis ſunt ſubſtantiæ, refrigerant, exſiccant: incîdunt tamen, & aperiunt moderatè. humorum ferociam contemperant; foris admota repellunt.

Atque hi ſunt ſapores extremi. ſequuntur medii, dulcis, & pinguis. Ille eſt in ſacchαro, qui cum jucunditate linguam oblinit, & replet: hic eſt in oleo maturo, linguamque oblinit cum lentore, ſed ſine evidente ſuavitate. Oriuntur à calore temperato & proportionato, ab optima concoctione, & determinatione humidi cum ſicco.

Hujuſmodi itaque medicamenta, ſimillima ſunt alimentis. Humor rerum dulcium, eſt aqueus,

ſicut in humiditate, & ſiccitate. unde maturant, leniunt; emolliunt, relaxant. ſed magis pinguia.

Inſipidus ſapor, non eſt ſapor. nec enim aqua, aut aliud elementum purum ſapidum eſt. nam ſapor ſupponit elementorum miſtionem. quæ autem obſcurum habent ſaporem, inſipida dicuntur, ut cucurbita, ceteraque obſcurè dulcia. Cauſſa eſt materia craſſa, humore aqueo leviter perfuſa, ſine manifeſto calore.

Notandum porrò, cum pleraque omnia medicamenta varietate partium conſtent, ſinceros ſapores rarò habere, ſed mixtos & confuſos; qui nihilominus mixtas vires indicant. denominantur tamen ab hoc aut illo ſapore, qui reliquos ſuperat, & dominatur. Quod dico, manifeſtum eſt in aceto; quod non tantum acidum eſt, ſed & acre. ita mel non tantum dulce, ſed & acre. ita abſinthium.

Et

Et hæc quidem eſt ratio explorandi medicamenta ex ſaporibus: cui tamen experientia adjungenda. alioqui falleris. Nam cichorium lingua ſentit amarum, ratio judicat calidum, & tamen experientia oſtendit eſſe frigidum. Idem quidam produnt de opio, eſſe nimirum frigidum, multum aliis reclamantibus; nec injuria. Quod ad occultas vires attinet, ex ſolâ experientia cognoſcuntur, non ratione, ut dictum eſt.

CAP. VII.

De Medicamentorum compoſitione.

SI medicamenta ſimplicia noſtris uſibus ſemper convenirent, non opus eſſet aliò confugere. ſed quia hoc non contingit, quod à natura deſideratur, cogimur arte ſupplere. Nam ſcopus φαρμακοποιητικῆς eſt,

deductio ad convenientia membra, medicamentorum vi contingit ſæpe.

Bechica, & ſputum moventia, duûm ſunt generum. alia enim craſſam & viſcidam pituitam incîdunt, & extenuant; ſed ſine vehementi calore, ut hyſſopus. alia pituitam tenuem incraſſant leviter, & leniunt; ut nux pinea, amygdala, tragacantha. Huc pertinent errhina, quæ tenuem pituitam, circa meninges deliteſcentem, expurgant per nares; talia calida ſunt, & acria; incîdunt enim, & abſtergunt.

Sunt & medicamenta partes corroborantia, manifeſta aliqua qualitate; eas nimirum adſtringendo, ne ſpiritus diſſipentur; qualia ſunt hepatica, & cardiaca. Illorum exempla ſunt agrimonia: horum, roſa, margarita.

Cardiacis adnumerantur, quæ tetros ſpiritus diſcutiunt, ut viola; aut bonos reficiunt, ut cinnamomi a-

qua;

qua; aut denique venenum debellantia, ut theriacalia, & bezoardica vulgò dicta.

Diximus, eſſe quartas medicamentorum facultates, conſequentes immediatè formam ſubſtantialem rei, non autem temperamentum. Hæc afficiunt noſtrum corpus, non tantùm manifeſtè, ſed & occulta ratione. Agunt in noſtrum corpus dupliciter, vel movendo localiter aliquid in eo, aut ſimpliciter tantùm alterando, ut theriaca. Quædam enim retinent aliquid, quod ex corpore exiturum erat, ut lapis aëtites, brachio alligatus, conceptum retinet. Alia attrahunt; ſicut ſcorpius, morſui à ſe facto impoſitus, venenum attrahere dicitur, ſimilitudine ſubſtantiæ. idem faciunt & alexiteria quædam. Quædam trahunt ad ſe aliquid, aut, ut aliis placet, incitant facultatem ad expulſionem; ut medicamenta electivè trahentia ex corpore, aut certa corporis parte,

deter-

Digitized by Google

determinatum humorem; ut ſenna, rhabarbara, agaricus: quæ licet habeant primas & ſecundas medicamentorum in ſe facultates, iis tamen non trahunt determinatum humorem, ſed quarta iſta occulta, & ſpecifica.

Ad horum cenſum pertinent Venena, Antidota, eaque medicamenta quæ determinatam partem reſpiciunt. Quanquam omnia venena immediatè cor oppugnent; non tamen eodem modo hoc faciunt. Quædam enim ſunt calida, quædam frigida, nonnulla ſicca; nulla tamen deſtituuntur occulta proprietate, quæ conſpirat cum manifeſta. at ſerpentum venena, occulta tantum proprietate vires conficiunt. His opponuntur alexiteria propriè dicta, quæ venenum aut frangunt, alterantque, ut theriaca; aut evocant, ut ſcorpius morſui ſuo impoſitus.

Poſtremò, quæ reſpiciunt determina-

minatam partem medicamenta, hoc faciunt occulta ſympathia, vel antipathia. illo modo ſalvia capiti conducit; pulmo vulpis, pulmonibus. hoc, cantharides nocent veſicæ. Quæ dixi de medicamentorum facultatibus, vulgò à medicis fere recipiuntur. negandum tamen non eſt, multa eſſe, quæ receptam ſententiam dubiam reddere poſſunt. de quibus alii.

CAP. VI.

Modus explorandi vires medicamentorum.

MEdicamentorum facultates eæ, quæ tota ſubſtantia, ut loquuntur, agunt, experientia ſola cognoſcuntur. Verum primæ, & ſecundæ, non experientia tantum, ſed & ratione. ſed ſine experientia vires nunquam dextrè cognoſcentur. tutius eſt, experientia niti ſine ratio-

Digitized by Google

ratione, quam contra. Notum eſt ex Philoſopho, accidentia rerum deducere in earum cognitionem. Cum verò in medicamentis varia ſint accidentia, colores, odores, gravitas, levitas: nulla tamen æquè commodè, & certò, deducunt in cognitionem temperamentorum, quam ſapores. Quorum materia eſt pars terreſtris ſicca, diluta tamen humore aqueo: unde diſtinguuntur ſapores ex varia miſtione humidi cum ſicco, à calore facta. Nec ſapor eſt qualitas ſecunda, orta ex actione caloris in ſicco terreo, aqua perfuſo.

Saporum alii calidi ſunt, ſeu caloris dominium ſequuntur, ut acer, amarus, ſalſus. alii frigidi, ut acidus, auſterus, acerbus. alii temperati, ut dulcis, pinguis, inſipidus, ſi modo ſapor dicendus. Acris, qualis in pipere & cæpa deprehenditur, linguam cum calore penetrat, inflammat, mordet. Hujus generatio

tio eſt ex ſicco terreo, humido permixto, à calore attenuato adeo, ut partes efferveſcant: partes dico terreſtres & aqueas. Ergò acria medicamenta, ſunt calida, ſicca, tenuium partium: habent autem vim rarefaciendi, attenuandi, diſcutiendi. Amarus, qualis in colocynthide, linguam detergit, abradit, exaſperatque: cujus cauſſa eſt vehemens calor humorem conſumens: eſtque medicamentum amarum, calidum, ſiccum, ſubſtantiæ terreſtris, ad ſimilitudinem fuliginis aut cineris. minus penetrat, & rarefacit, quam acre: incidit tamen, detergit, meatus aperit. Huic vicinus eſt ſalſus, genitus ex ſicco terreo, copioſo humore perfuſo, à calore humorem quidem aſſante, non tamen conſumente, ſed potius cogente cum parte terreſtri. Proinde ſalſa, ſunt ſubſtantiæ quaſi mediæ, nec plane aqueæ, nec terreæ: unde exſiccant, abſorbent, incîdunt. quæ indicant,

 eſſe

Digitized by Google

eſſe naturæ magis craſſæ, quam tenuis.

Hi ſunt ſapores calidi, ſequentes nimirum caloris dominium.

Frigidi ſapores ſunt totidem. Quorum duo priores admodum ſunt ſimiles; auſterus & acerbus; uterque enim adſtringit. Verum acerbus (qualis galla immatura) linguam contrahit, & exaſperat, & quidem validè: at auſterus (qualis in malo cydonio) eadem præſtat, ſed moderatè. Utriuſque cauſſa, eſt debilis calor, qui non ſufficienter attenuat, & permiſcet partes terreſtres cum aqueis, verum ſinit illas his dominari. quanquam in auſtero major ſit attenuatio, & permixtio humidi cum ſicco, quam in acerbo. Medicamenta ergò auſtera, & acerba, craſſa ſunt, & terreſtris naturæ; frigida tamen, & ſicca: unde fluxiones ſiſtunt, viaſque claudunt. magis acerba, minus auſtera.

Acidus ſapor, qualis in oxalide, lin-

linguam ſine caloris ſenſu, altè, facileq́ue penetrat. Oritur ex ſicco terreo, tenui, ſed copioſo tamen humòre perfuſo, à calore attenuante, non tamen perfectè elaborante, qui priuſquam terminum aſſequatur deficit. Medicamenta ergò acida, tenuis ſunt ſubſtantiæ, refrigerant, exſiccant: incîdunt tamen, & aperiunt moderatè. humorum ferociam contemperant; foris admota repellunt.

Atque hi ſunt ſapores extremi. ſequuntur medii, dulcis, & pinguis. Ille eſt in ſaccharo, qui cum jucunditate linguam oblinit, & replet: hic eſt in oleo maturo, linguamque oblinit cum lentore, ſed ſine evidente ſuavitate. Oriuntur à calore temperato & proportionato, ab optima concoctione, & determinatione humidi cum ſicco.

Hujuſmodi itaque medicamenta, ſimillima ſunt alimentis. Humor rerum dulcium, eſt aqueus,

Et hæc quidem eſt ratio explorandi medicamenta ex ſaporibus; cui tamen experientia adjungenda, alioqui falleris. Nam cichorium lingua ſentit amarum, ratio judicat calidum, & tamen experientia oſtendit eſſe frigidum. Idem quidam produnt de opio, eſſe nimirum frigidum, multum aliis reclamantibus; nec injuria. Quod ad occultas vires attinet, ex ſolâ experientia cognoſcuntur, non ratione, ut dictum eſt.

CAP. VII.

De Medicamentorum compoſitione.

SI medicamenta ſimplicia noſtris uſibus ſemper convenirent, non opus eſſet aliò confugere. ſed quia hoc non contingit, quod à natura deſideratur, cogimur arte ſupplere. Nam ſcopus φαρμακοποιητικῆς eſt, ido-

idoneum medicamentum efficere in eos uſus, quos indicatio curativa poſcit; nimirum ut citò, tutò, jucundè curetur æger. Compoſitum medicamentum dicitur in ordine ad ſimplex. tale non fit natura, ſed arte, ex ſimplicium conjunctione. conjuncta enim faceſſunt in unam formam, ut mithridatium. Potiſſima cauſſa componendi medicamenta, eſt morborum, cauſarumque, nec non ſymptomatum diverſitas. Quilibet enim affectus remedium poſtulat, ſimplex morbus medicamentum tale, compoſitus autem compoſitum exigit medicamentum. Finge jecur non tantum inflammatum, ſed & obſtructum; certe medicamentum conveniens utrique uſui inſervire debet: aliud enim indicat morbus, aliud cauſſa ſive obſtructio. Quid? quod pars affecta, ægrique natura, imponunt ſæpe neceſſitatem componendi medicamenta. principi enim laboranti parti

parti nunquam applicantur ſola relaxantia, ne robur membri diſſolvatur; verum laxantibus admiſcentur adſtringentia. Accedit, ſi pars ſit in profundo ſita, nec alterari poſſit à medicamento, tum illi dandum eſt vehiculum, quod tenuitate ſuâ penetrans, eò deducat medicamentum. hoc modo in doloribus capitis acetum additur oleo roſaceo. Sunt & aliæ cauſſæ, nimirum temperamentum, conformatio partis, ſenſus, ægrique natura. Accedit minus apta medicamenti ſimplicis qualitas, quæ intentioni noſtræ interdum eſt neceſſaria; verum affectui non proportionata; vel quia nimis remiſſa, vel intenſa, vel alioqui maligna: unde oritur neceſſitas adjungendi aliud ſimplex. Exempli cauſſa, vis purgatrix agarici excitatur zinzibere, vis rhabarbari ſpica: malignitas ſcammonii, corrigitur tragacantha. Sunt quidē alię plurimæ cauſſæ, verū hæ præcipuæ judicantur.

Ut autem medicamentum ritè componas, non tantum requiritur ſimplicium cognitio, verum etiam morbi, cauſſæ, partiſque affectæ. In compoſitione res ita habet. primò eſt baſis, (per ſimilitudinem dicta.) hoc eſt, illud ſimplex, quod eſt profligando morbo accommodiſſimum, & quò cetera in tali compoſitione reſpiciunt. Sicut affectus alii ſimplices ſunt, alii compoſiti, ita baſes; alia enim eſt ſimplex, alia compoſita. illa eſt, quæ unum præſtat uſum, ſive componatur ex pluribus ſimplicibus ejuſdem facultatis, ſive ex uno tantum, ut aloë in hiera picra. hæc, quæ diverſos & multiplices reſpicit uſus. conſtatque pluribus ſimplicibus, diverſa facultate prædictis. unde fiunt medicamenta πολύχρηστα. Baſis plerumque compoſitum denominat, & ex ejus viribus judicandum eſt de tota compoſitione.

Solet baſis variari pro morbo-

rum

rum temporibus, & ſymptomatum vehementia. unde alia baſis, eſt in principio morbi, alia in ſtatu. neque hoc tantum. ſed vires ægri, conſuetudo, pars affecta baſin variant. Variatur baſis pro qualitate & quantitate ceterorum componentium, ei miniſtrantium. Incumbit medico, reddere medicamentum morbo, partique affectæ accommodatum; quod in baſis temperatione conſiſtit. Si enim ejus vis ignava eſt, acui debet: ſi maligna & vehemens, temperari debet benignioribus, quibus conciliatur ſuavis odor, ſapor. quæ ut fieri poſſint, requiritur aliquid ad formam idoneam conciliandam; liquores nimirum, decocta, ſyrupi, oleum, cera. & ut verbo abſolvam, in compoſitione præter baſin tria debent conſiderari, corrigentia, dirigentia ad partem affectam, & demum conſervantia, ſaccharum nimirum aut mel. Baſis quantitas eſt metienda

tuantur. hoc enim modo temperatum medicamentum, habebit æquales partes caloris, frigoris, humiditatis, & ſiccitatis. Nempe ſi ſummus in temperatis gradus ſit ſex, tres erunt gradus caloris, & totidem frigoris. in intemperatis, tantum unius contrarii corrumpi debet, quantum alterius generari. Ergò calidum in primo eſt, quod uno gradu ſuperat temperatum; in ſecundo, quod duobus ſuperat; & ita deinceps. Frigidum in ſecundo, habet ſuos caloris gradus. qui tamen non denominant ſubjectum, quia iis reſpondent contrarii calidi. Dicitur tamen abſolutè frigidum in ſecundo, quia duobus gradibus ſuperat, hoc eſt, habet tres partes frigoris, & unam caloris. jam vero uni caloris parti, reſpondet alia frigoris. at ſuperſunt duæ partes frigidæ, quibus calidæ non reſpondent. hæ vere ſubjectum denominant. Quæ ratio eſt in gradibus,

eadem eſt in ſingulorum manſionibus. nam calidum in prima manſione primi gradus, habet caloris partes 2$\frac{0}{1}$, frigoris 2$\frac{1}{6}$, & ita deinceps. Ex quibus conſtat, errare vehementer Alchindum. de quo vide Averrois Colliget. l.b.5.c.58.

In compoſitione ergò quando plura ſimplicia ejuſdem ſunt facultatis, & gradus, compoſitum erit ejuſdem & facultatis, & gradus. verum ſi plura ſint ejuſdem quidem facultatis, ſed non gradus, quemadmodum piper calidum in tertio, & ſpica in primo, tum ſpica remittit calorem piperis, & hoc ſpicæ frigus, oriturque medicamentum calidum in ſecundo. ſin plura ſimplicia contrariæ facultatis, ſed ejuſdem gradus, ut roſa, & ſpica, oritur compoſitum temperatum. Quæ eſt ratio in primis qualitatibus, eadem eſt in ſecundis, & tertiis.

Quod ad purgantia attinet, diverſimodè ea miſcentur. Nam interdum,

dum, ſimilia ſimilibus: ut vehementia vehementibus miſcentur. interdum quæ miſcentur, diſſimilia ſunt, ut mediocria vehementibus, aut lenientibus. Si ſimilia ſimilibus miſceantur, alterum autem alterius actionem promovet, vide ut compoſiti quantitas non excedat juſtam ſingulorum doſin. nam quantum additur ab alterâ parte, tantum alteri demendum. ut ſi miſcere velis rhabarbarum cum agarico, compoſitum non debet excedere duas drachmas, quæ utriuſque ſeorſim eſt doſis. Obſerva tantum ut illius ſimplicis plus in compoſitionem veniat, cujus maximus eſt uſus, & neceſſitas ad curandum morbum præſentem. ſin lenientia mediocribus, aut vehementibus miſceantur, compoſiti doſis non erit minor, quam ſingulorum ſeorſim. ſin valida adjungantur mediocribus; ad ea acuenda minui debet doſis vehementium, relicta mediocriũ uſitata.

Porrò

Porro quia baſis eſt compoſiti medicamenti quaſi anima, ejus ad reliqua ingredientia proportio diligenter eſt conſideranda. nec unquam commitendum, ut vehementia magna copia baſi adjungantur. ergò baſis vehemens minorem exigit quantitatem, debilis verò majorem: verum corrigentia, quæ vel augent, vel minuunt vim baſis, in minore, quam eam, ſumi oportet. at quæ corrigunt baſis malignitatem, proprietate aliqua æquare eam debent. Quod ad dirigentia attinet; ſi baſis magna ſit quantitas, (ut in medicamentis debilibus) dirigentium minor debet eſſe quantitas. ſin baſis ſit vehemens, ac proinde parvæ quantitatis, ut colocynthis; dirigentium quantitas æquare debet baſin. Dirigentia ſiquidem debilia ſunt, nec ad partem affectam exigua doſi baſin deducere poſſunt. De formis medicamentorum agere ſuperfluum videtur. eæ enim omnibus

bus ſunt notæ, ſicut & differentiæ, ut pilulæ, emplaſtra, linctus &c.

CAP. VIII.

De Purgatione.

VT purgatio rectè intelligatur, ſciendum, corpus humanum in tres regiones dividi. Prima harum, quæ ſentina corporis dicitur, à gulâ ad mediam hepatis partem extenditur. Secunda eſt à medio hepatis ad tenues partium venas. Tertia regio comprehendit venas capillares, necnon corporis habitum. ſi humores ſola quantitate in vaſis peccant, phlebotomia evacuantur; ſicut cacochymia eorundem cathartico; ſin humores in corporis habitu contineantur, ſudoribus, & inſenſibili perſpiratu, diſcutiuntur. Hæc tria genera evacuationum ſunt univerſalia, quia totum corpus purgatur. nam quæ ab hac, aut illa, evacuant,

cuant, purgationes ſunt particulares, ut diuretica, bechica.

Eſt autem *Purgatio evacuatio humoris, qualitate peccantis, ſive per ſuperiora, ſive inferiora, medicamenti vi facta.*

Purgatio indicatur à cacochymia, ſi vires ferant, ceteraque conſentiant. Quod autem expurgat, & humorem expellit, eſt facultas naturalis irritata à pharmaco. nam purgantibus non eſſe vim trahendi humorem, ſed irritandi tantum facultatem, multi non improbabiliter aſſerunt. Medicamenta hoc efficientia, qualitate ut loquuntur occulta, (hæc illa ſunt, quæ determinatum tantum humorem trahere creduntur) καθαρτικὰ dicuntur. At quæ manifeſta, ut lubricantia, deterGentia, ὑπαρκτικὰ. communiter vocantur. Vis illa peculiaris, qua medicamenta hunc, aut illum humorem purgant, ſpecifica eſt, ſequiturque formam ſubſtantialem, &

ab ea

ab ea naſcitur. quanquam nihil impedit corrupta forma manere in miſto. Videmus enim ſcammonium, quantumvis corruptum, vim purgandi non amittere. idem in rhabarbaro roſto videre eſt.

Dubitant multi, nec injuria, an medicamentum aliquod hunc aut illum tantum humorem purget: an indifferenter quoſvis. & certè pauca ſunt, quæ unum tantum trahunt, ſi experientiæ creditur. Quidquid eſt, medicamenta pro varietate humorum peccantium ſunt quadruplicia: chylagoga, melanagoga, phlegmagoga, hydragoga.

Eſt & alia eorum diviſio. nam quædam vomitu hoc præſtant, quædam dejectione, quædam vehementer, quædam blandè, nonnulla medio modo. Blandè per inferiora purgant bilem, manna, tamarindi, caſſia. mediocriter rhabarbarum, & aloë. vehementer ſcammonium. eadem eſt ceterorum ratio.

Vomi-

Vomitum leviter provocant aqua hordei, ſyrupus acetoſus; potentius ſuccus raphani, decoctum radicum betonicæ; validiſſimè radices hellebori albi, antimonium. Obſervatum eſt à majoribus, medicamenta quædam, quamvis determinatum humorem, magis tamen ab unâ parte, quam aliâ, purgare: nam agaricus & colocynthis quamvis pituitam purgent, magis tamen à capite trahunt, rhabarbarnm à jecore, hermodactyli ab articulis. niſi mavis dicere, humorem purgandum in iis partibus magis turgere; quod in capite eſt manifeſtum. Ex his aliiſque ſimplicibus purgantibus variæ compoſitiones emergunt. nam ſunt quædam compoſita, quæ ore ſumuntur, quædam per anum immittuntur; tum quædam ſunt liquida, quædam ſolida. In omni purgatione prima indicatio ſumitur à cauſsâ morbificâ, ſeu cacochymiâ; deinde à viribus ægri, quatenus eam aut

per-

permittunt, aut impediunt: quibus adjunguntur pars affecta &c. Humores ergò vitioſi, qui à natura ſuperari nequeunt, expellendi ſunt. non ergò debetur purgatio ſanis, ſed aut ægris, aut neutris. quanquam nihil impedit, ſanum corpus purgari leniente, & blando pharmaco, quale eſt manna, caſſia. Ætas media optimè purgationem fert; nam ſenilis, & infantilis, ob debilitatem, ægrè. quanquam blandè purgantia & ſenes & infantes ferre poſſint, magis tamen illi. Sed ſi infans admodum ſit cacochymus, nihil impedit, nutrici aliquid mediocriter purgans propinari. ejus enim vires lacti imprimentur. aut infanti ipſi ſuppoſitorium, aut aliquid lene per os, dari poteſt. Si ſexum ſpectes, viri magis idonei ſunt fœminis. at ſi his fluant menſes, medicamentum non convenit. Gravidæ difficulter purgantur; ſi tamen faciendum eſt, fiat à menſe quarto ad ſeptimum,

reſte Hippocrate 1. 4. nam primis, & poſtremis menſibus, ligamenta facilius rumpuntur. Si corpora ſpectes; temperata purgationes maxime ferunt; at ſicca, frigida, macilenta, laxa, minus. ſicut qui animo facilè linquuntur, ac qui levi de cauſſa vomunt. Omnes tamen purgandi, ſi vires validæ ſint, & neceſſitas urgeat. Regio temperata, tempus vernum, & autumnale, purgationibus valde conveniunt. Aëris conſtitutio, juſto calidior, vires corporis exhaurit. Unde ſub cane, & ante canem, difficiliores ſunt purgationes. at frigidus aër corpora denſat, & humores cogit. Eæ purgationes cenſentur bonæ, quibus talia educuntur, qualia debent. hoc enim modo natura liberatur, & facile fert hujuſmodi purgationes.

Ceterum de humoris conditione qualis ea debeat eſſe, dubitatur. Hippocrates enim humores crudos pur-

Digitized by Google

purgari non vult, niſi turgeant. proinde crudi primò ſunt coquendi, tum purgandi. Crudus humor eſt duplex; alius eſt infra ſanguinem, qui juſtam concoctionem non eſt aſſequutus, ut pituita. alius ſupra ſanguinem; utraque nimirum bilis. Quod ad pituitam attinet; ſi ea ſit ſanguis inchoatus, purgari non magis debet, quam ipſe ſanguis. crudus enim eſt relinquendus naturæ ad coctionem, & corporis nutritionem: at jam coctus, cum ſit ſanguis, expelli non debet, niſi peccet quantitate, ut in plethora. at utraque bilis, & pituita excrementitia naturaliter alioqui ſe habentes, quoad qualitatem coqui ulterius non debent. habent enim, terminum à natura præſcriptum. hujusmodi enim humores, cum ſint excrementitii, corpus noſtrum alere nequeunt: proinde ſi abundent, ſine coctione ſunt educendi: at ſi putreſcere incipiant (nam cruditas eorum

eorum eſt putredo) in venis, quanquam eorum ſubſtantia non poſſit reddi corpori alendo utilis; tamen, quoad qualitates, eæ poſſunt fieri benigniores, naturæque noſtræ ſimiliores: proinde non prius educendi veniunt, quam putredo fuerit evicta. Ergò hujuſmodi humores in principio morbi, cum ſint crudi, educi non debent. Expectanda itaque eſt concoctio, quæ utilia ab inutilibus ſeparat. At ſi turgeant minenturque in nobiliora viſcera impetum, educendi ſunt ſtatim in principio. Alii contra diſſerunt; negantque, hujuſmodi coctionem eſſe expectandam. Nam quid facit coctio? Refrenat inquiis putredinem. Quid? humorne malus in corpore relinquetur; & ubi melior evaſerit expelletur? Hoc quidem inauditum eſt. Tum coctio iſta humores incraſſat; coctique fiunt craſſiores, difficiliuſque expelluntur. at crudi cum tenues

ſint,

ſint, multo facilius movebuntur. crudi ergo debebant expelli, & in principio morbi. Nam quid neceſſe eſt, tamdiu ægrum torquere, concoctionem expectando, quem poſſes ſtatim morbo liberare? At dices, in principio ſi hoc fiat, interpellabitur criſis. hæc eſt cauſſa quare tam paucæ hodie conſpiciuntur criſes. Quid hoc ad rem? melius eſt enim, humorem peccantem ſtatim educere, quam permittere ejus cum natura pugnam, cujus eventus admodum ſit incertus. Certè Galeni ratio ad Aphoriſmum, eget divinatore. Ait enim, ſi coctionem expectes, naturam habebis adjutricem. Ergò ita ſtatuunt; in principio morbi, etiamſi materia non turgeat, educendam tamen benigno & commodo cathartico. ceterum ſi viæ ſint obſtructione aliqua impeditæ, aut humores viſcidi; non prius purgandum, quam materia fuerit attenuata; & viæ expeditæ,

Digitized by Google

peditæ. In hac materiæ præparatione, & vaſorum apertione, totam coctionem poſitam eſſe contendunt; negantque, omnes evacuationes ſymptomaticas (multæ enim ſunt) eſſe vituperandas. verum, quæ ſolo tempore ſunt ſymptomaticæ, anticipantes nimirum coctionem, utiliſſimæ eſſe poſſunt.

Cap. IX.

De doſi medicamenti purgantis.

SI ullibi opus eſt artificioſa conjectura, in purgationibus certè (quæ exacta ſcientia comprehendi nequeunt) opus eſt; propter varietatem non modo morborum, ſed & corporis humani conſtitutionem. Nam quanquam humor indicet medicamentum, ejus tamen doſis & vis, ex ſitu humoris, in corpore & ægri viribus pendet. Unde factum, ut corpus humanum diviſum

ſum ſit in tres regiones, quemadmodum diximus: nam ſi in tertia regione abundet humor noxius, validioribus opus eſt purgantibus, quam ſi in primâ turgeret regione. Medicamenta benedicta, ſeu leniter purgantia, exhibentur fere unciarum pondere. Validiſſima autem granorum; mediocria drachmarum. Eadem ratio doſis obſervatur in vomitoriis; in quibus ſemper habenda eſt ratio virium; pro quarum varietate, medicamentorum doſes augentur, & minuuntur. Vitandæ tamen nimis magnæ, parvæque, evacuationes: illæ enim tormina excitant, humores perturbant; hæ multo majora damna corpori inferunt, convulſiones nimirum incurabiles, aliaque ſymptomata. Purgatio nunquam eſt judicanda ex humorum copia, ſed ſi talia evacuentur, qualia debent, humor nimirum peccans, & æger facilè toleret. Purgationum quæ-

Digitized by Google

dam una vice totam educunt materiam; quæ perfectæ dicuntur: aliæ pluribus vicibus, in corporibus nimirum debilibus. nam quanquam humorum ſit copia, quia tamen vires debiles ſunt, repetenda eſt purgatio, nec tota materia ſimul educenda, ne vires concidant. Legitimum ordinem remediorum administrandorum, indicat cauſſarum ordo; ita tamen ut ante oculos habeamus id, quod maximè urget. Semper itaque eſt primò tollenda conſequentium cauſſa. ex quibus facilè eſt determinare, an phlebotomia ſit purgationi præferenda, an contra. Nam ſi magna ſit neceſſitas mittendi ſanguinem, quæ moram non patitur, ut in inflammationibus partium, certè purgatio eſt poſtponenda. at ſi prima regio ſit impura, morbus autem ferat moram, poſtponenda eſt phlebotomia, ne crudus & putridus humor à vaſis exhauſtis attrahatur.

Digitized by Google

tur. Humor itaque vitioſus in ventriculo, primiſque venis, ſtatim eſt educendus, niſi forſan ſit viſcidus; tum enim eſt incidendus & præparandus. at corruptus, quacunque ſit regione corporis, eſt pariter educendus. humorem putreſcentem in vaſis, etiamſi viæ ſint liberæ, ſtatim expurgare non expedit, ſed expectandum eſt tempus opportunum, cum nimitum in urina apparent concoctionum ſigna; niſi forſan turgeat. tum quoque ſtatim educendus. & quanquam humorum expectanda ſit concoctio, nihil impedit, etiam in principio, minorativam dari purgationem, quo natura copia levata facilius coquere poſſit quod ſupereſt. In purgatione cavendus eſt morbi paroxyſmus, niſi forſan ſit febris quartana, aut alia ſimilis, conjuncta cum virium robore: hic enim materia craſſa, viſcidaque, ægrè admodum cedit. proinde nihil obeſt, purgare

eo tempore quo movetur. tum enim facilius detrahitur materia noxia. In aliis morbis, paroxyſmis deſtitutis, eligendæ ſunt horæ matutinæ. tum enim pharmacum eſt ſumendum jejuno ventriculo. &, ſi forte fuerit, dormiendum paululum, poſt ſurgendum. ſin debile, vitandus ſomnus: hoc enim modo facilius in actum deducitur medicamentum. At quibus viis educendus ſit humor, docebit locus affectus, aut humoris inclinatio. Nam ſi caput eſt male affectum à gravante materia; per os, nares, educitur. ſin totum corpus, per inteſtina commodiſſimè evacuatur. ſin ventriculus, vicinæque regiones laborent; per ſuperiora feliciter evomitur. Cave tamen patiaris humorem fluere ad partem affectam. nam ſi caput vehementer laboret, aſcendant verò iſthuc ex aliis partibus vapores, tum non vomitu (niſi laboret ventriculus) ſed

per

per inferiora, revellenda eſt materia. Quicquid eſt, alii aliis evacuationibus ſunt magis idonei. Nec ad vomitum incitandus, qui difficulter ferre poteſt. Talis eſt phthiſicus, aut anguſtum habens pectus. Nam revera, licet vomitus à multis inveteratis affectibus liberet eos, quibus purgatio non profuit, tamen eſt nimis violentus, & minus naturalis. Unde Hippocrates ſupra robuſtos, infra debiles purgari vult. Si ſymptomata evaneſcant, redeat appetentia, ſomnus, aliaque; tum demum utilem eſſe purgationem cognoſces liquidò.

CAP. X.

De Phlebotomia.

SIcut purgatio eſt magnum remedium, & evacuatio univerſalis; ita phlebotomia. Verùm illa reſpicit certos humores qualitate pec-

cantes. hæc eorum quantitatem, omnemque humorem, indifferenter ex venis elicit, primo quidem ex venis proximis, ſecundario ex remotioribus, quia omnes ſunt inter ſe continuæ. Hoc præſtat purgationi, quod pro arbitrio ſiſti poteſt, quod in purgatione fieri nequit. Ejus tres ſunt præcipui ſcopi; magnus nimirum morbus, ætas florens, & demum virium robur. Quod non eſt ita accipiendum, quaſi omnis magnus morbus phlebotomiam exigat, cum purgatio ſit etiam in magno morbo, ſed is demum, qui à plethora oritur. Omnis ergò talis morbus, ſive præſens, ſive imminens, phlebotomiam indicat. Nam plethora eſt venoſi generis affectio, à redundantiâ ſanguinis, ſecundario habitu corporis. Minuitur promptè venæ ſectione. & quanquam in ſanis, integraque valetudine præditis, ſæpe inſit, diu tamen conſiſtere nequit: humo-

Digitized by Google

humores enim, aut putreſcunt, aut fluxiones concitant, aut aliquod aliud damnum inferunt. Morbus magnus, à phlebotomia indicatus, non tantum eſt is, qui eſſentia & natura talis, ſed & qui ob præſtantiam partis eſt magnus. nam parva inflammatio ignobilis partis, à ſanguine orta, non poſcit ſemper phlebotomiam; cum leviore remedio facile curari poſſit. at ſi eadem ſit in parte nobili, jecore, liene, venæ ſectionem requirit; non quidem gratia ſui, ſeu ob affectus magnitudinem, ſed, ut dixi, ob partis præſtantiam.

Venæ ſectio, quanquam videtur, non eſt tamen ſimplex remedium, ſed multiplex. Uſurpatur enim ad refrigerandum. quod facit minuendo ſanguinem, caloris fontem. eo enim ſublato neceſſe eſt corpus frigeſcere. Nonnunquam ſiſtimus ſanguinem fluentem, ut initio inflammationum in pleuritide, phreniti-

nitide. ubi locum habet revulſio; quæ eſt humorum fluentium in contrariam partem averſio, ut eorum impetus ſiſtatur. Contrarietas eſt reſpectu originis fluxionis; cum ſcilicet humor fluens revocatur ad eam partem à quâ fluxit, niſi quid impediat; aut certe in partem proximam; ut ſi à capite deſcendant humores in latus.

Secatur ejuſdem lateris vena, qua humor inde deſcendens, quaſi revocatur ad ſuum fontem, aut certe intercipitur. Ita cauteria adhibentur capiti, cum inde cadunt humores in pulmones. Ceterum ſi origo fluxionis ignoretur, revellendum eſt ad diſtantiſſimas partes. ſic enim retrahuntur humores ab omnibus partibus, quæ mittere poſſunt. Maximè videndum, ut vena ſecetur, quæ ſocietatem habet proximam, & communionem cum parte affecta. alioqui nihil juverit revulſio. nam laborante latere dextro, oppo-

ſiti

ſiti ſectio nihil juvat; quandoquidem non eſt proxima communio venarum, ſed remota; quo modo omnes venæ communicant. at laborante crure altero, alterum ſecatur, propter proximam communionem ab eâdem venâ cavâ. Quicquid ſit, cum humores fluere incipiunt in partem, revellendi ſunt ad originem ſuam. Nam parti impacti, non poſſunt ſectione extrahi; ut poſt conſtabit. Ergò in angina, peripneumonia, lethargo &c. ſtatim revelli debet materia. neque hoc tantùm, ſed ſi metus ſit fluxionis, ut in vulneratis, idem præſidium eſt adhibendum.

Derivatio eſt *humorum, in venis partis affectæ contentorum, per vicina averſio.* Hæc non reſpicit humores fluentes, ſed, ut dixi, contentos & quieſcentes, non autem parti impactos, aut in corporis habitum effuſos. Ut ſi inflammatio ſit inguinis ſiniſtri, ſecta vena poplitis dex-

tri pedis, derivat ad latus ſanguinem. Sectio hæc non habet locum in principio inflammationum, ſed poſtea; ut humor nimirum venarum evacuetur. at ſi humor eſt parti impactus, inde educi nequit revulſione, aut derivatione, ſed medicamentis localibus. Plenitudo totius corporis commodiſſimè evacuatur, ſecta interiore vena cubiti dextri lateris, quæ à vena cava, & jecore, validiſſimè trahit. maximè ſi corpus turget ſanguine laudabili, aut alioqui bilioſo. nam ſi abundet melancholia, contrarii lateris in cubito vena ſecari debet. Baſilica ſecta evacuat totum corpus, maximè verò partes infra collum. nimis commodè idem fit ſalvatella pertuſa. partes ſupra claviculas ſitas expeditiſſimè liberat humeraria, ſeu cephalica: idem fit in funiculo, ſed tardius. Vena communis ex baſilica & cephalica, quæ mediana dicitur, circa mediam flexuram ſita,

(quam

(quam Arabes venam nigram vocant) à ſuperioribus pariter & inferioribus revellit. Si affectus aliquis ſit in partibus infra renes, cruris vena ſecta eum tollit expeditè. Renes ipſi inflammati, melius curantur ſecta vena cubiti, quam partium inferiorum. Nam promptius deſcendunt humores quam aſcendunt. Qua de cauſſa fluxus menſtruorum & hæmorrhoidum ſiſtitur ſecta cubiti vena. Verum ſi menſes ſubſiſtant, provocantur, ſecta ſaphena, aut vena poplitis. Arteriæ, propter periculum, non facilè ſecantur.

Hæ ſunt præcipuæ venæ, quarum in ſectionibus eſt uſus ad ſanguinem vacuandum.

Videndum tamen ne vires ſint languidæ, aut diſſolutæ. quo in caſu, cum ſanguis ſit vitæ theſaurus, nihil ejus demendum eſt. at ſi vires conſtent in corpore valido, tum copioſè auferri poteſt.

Si ætates ſpectes; media ætas eſt

validiſſima. in ea enim vires omnes ſunt conſtantiſſimæ, fertque magnas ſanguinis evacuationes. Ætas decrepita contra ſe habens, copioſam ſanguinis evacuationem non fert. Ætas puerilis ante annum decimum quartum, valida quidem eſt; ſed quia mollis & humida eſt, non fert ſectionem. ſatis enim ſponte evacuatur & diſſipatur inſenſibiliter. His tamen non obſtantibus, ſi vires ferant, & morbus exigat in quacunque ætate, niſi forſan lactans ea ſit, tentanda ſectio eſt. Notum eſt exemplum filii Abumeron Avenzoaris, curati venæ ſectione, cum adhuc trimus eſſet. vide Averroëm 7 colli. cap. 3.

Si ſexum ſpectes, viri facilius tolerant venæ ſectionem, quam mulieres. robuſtiores enim ſunt.

Inter anni tempora ver eſt commodiſſimum; quia maximè temperatum: ad quod proximè accedit autu-

Digitized by Google

autumnus; ſequitur æſtas, quæ aptior ſectioni venæ eſt, quam hyems. ita faciendum eſt, ſi tempus eligendum venit: at ubi neceſſe eſt, omni tempore eſt molienda ſectio.

CAP. XI.

Quantum ſanguinis detrahendum.

QUicunque tutam evacuationem ſanguinis miſſione moliris, confer diligenter magnitudinem morbi cum viribus, alioqui præcipitabis ægrum. Sicut enim vires aliæ ſunt robuſtæ, aliæ proſtratæ, aliæ mediocres: ita phlebotomia alia magna, quæ materiam totam, aut maximam partem aufert; alia parva, quæ parum, aut nihil demit; proinde inutilis cenſenda. media eſt quidem utilis, quia materiam aufert; ſed imperfecta, quia magnam

magnam partem humorum adhuc relinquit in venis. Vires robuſtæ perfectam evacuationem, at dejectæ & proſtratæ nullam ſanguinis detractionem ſuſtinent. mediocres quidem imperfectam, at non inutilem. Morbus itaque extremus, conjunctus cum virium robore, plenam integramque detractionem tolerat. verum ſi morbus parvus ſit, ſintque vires robuſtæ, plena evacuatio non eſt tam neceſſaria, ſed infra ſubſiſtere tutius videtur. at ſi vires ſint debiles, ſed non exhauſtæ, ſitque morbus magnus, expedit ſanguinem per vires minuere, viresque interea reficere. Quanto itaque morbus eſt acutior, quia urget, tanto liberalius ſanguis eſt fundendus; modo ferant vires. Chronicus verò, quia diu durat, minorem evacuationem exigit. ſed an præcautionis gratia, dum metuitur à plenitudine morbus, integris adhuc viribus, ad animi deliquium ducendus ſit

ſit ſanguis, quod majores facere conſueverunt; dubitatur. Multos novimus deficere animo, viſo ſemel ſcalpello: nonnullos, una aut altera uncia effuſa, protinus labaſcere. contra, nonnulli non deficiunt, etiamſi plus juſto auferatur. Animi ergò deliquium fallax erit menſura. Adhibenda itaque meo judicio artificioſa conjectura, quæ habetur ex conferentia, & tolerantia ægri

Evacuatio confert, quæ manifeſtè morbificam cauſſam minuit. ſin eadem viribus non ſit moleſta, toleratur. Æſtimatur tolerantia ex omnibus viribus: maximè tamen vitalibus, ſi Galeno creditur. quibus adde temperamentum, ætatem, ceteraque. Si una ſectione omnibus indicantibus eſt ſatisfactum, repetenda non eſt: ſin minus, repetenda venit. ibi enim vires periclitantur, revulſiones, derivationeſq; ſunt partiendæ. Si ipſum tempus ſpectes, ſitque electio

electio ejus conceſſa, quod fit in præſervatione; cum morbus non urget, ver præfertur, ut dixi. Hora eſto matutina, una aut altera poſt ſomnū conſuetum. Vide tamen ut concoctio pridiana ſit expedita, & prima regio, in qua ſunt inteſtina, levata ſit excrementis: periculum alioqui ſuberit, ne inanitæ venæ humores excrementitios attrahant. At in magnis morbis, inprimis iis qui oriuntur à ſanguinis fluxu, ut pleuritis, ſtatim quavis diei & noctis hora, neglecta præparatione, ſanguis eſt demendus. In mora enim eſt magnum periculum. eſt enim magna neceſſitas. & vires conſtant. In principio itaque febrium ardentium ſectio eſt inſtituenda. Idem fit in revulſione, partibus nimirum inflammatis.

Derivatio revulſionem ſequitur. at ſi ſanguinem parti impactum diſcutere, aut putrefacere nolis, ſed elicere, decurrendum erit ad minora

niora præſidia; hirudines nimirum, cucurbitulas, ſcarificationem.

Hirudines bonę (nec enim omnes conveniunt) aqua puriſſima, eaque ſæpius mutata, eouſq; lavandæ ſunt, donec omnem virulentiam & malignitatem deponant; tum partibus admotæ, (quibus trifidum vulnus infligunt) relinquendæ, dum ſanguine turgidæ, ſponte cadant Multum ſanguinis proliciunt, inprimis verò melancholici.

Scarificatio tanto liberalius ſanguinem vacuat, quanto altius ſcalpellum agitur. tum enim non ſolum humorem parti inhærentem, ſed longius etiam ſanguinem revellit. Hujus præſidii eſt uſus in brachiis cruribuſque humore turgentibus. convenit cutaneis affectibus, morſibus venenatis, aliiſque.

Si ſcarificationi ſuccedat cucurbitula cum flamma, liberalior erit evacuatio. Nam ſine ea parum ſanguinis detrahitur. Cucurbitulæ ſiccæ in-

cæ inſenſibiliter evacuant, flatuſque diſcutiunt, ut in colico affectu videre eſt. impoſitæ ventriculo vomitum ſiſtunt, & ſingultum. at mammis, menſtrua. revellunt etiam ab internis partibus ad externas. Cave tamen admoveas parti inflammatæ, aut iis utaris ante revulſionem, cum eâ eſt opus.

INSTI-

INSTITUTIONES MEDICÆ.

LIBER VI.

De VICTUS RATIONE.

CAP. I.

De Alimento.

POſtrema hæc eſt medicinæ pars, communis ægro cum ſano. Ratio enim victus eſt neceſſaria, non tantùm ad ſanitatem reſtituendam, ſed & præſentem conſervandam. Conſiſtit autem in legitimo uſu ſex rerum non naturalium, ſine quibus non vivitur. Res non naturales ideo dicuntur, quia nec ſecundum naturam humano corpori inſunt, ut facultates, tempera-

pera-

Digitized by Google

peramenta; nec tamen præter naturam, ut morbus, & ſymptoma. ſed medio modo ſe habent. nam ſi iis bene utaris, proſunt; ſin minus, nocent. hujuſmodi ſunt aër, cibus, & potus, motus & quies, excreta & retenta, ſomnus & vigilia, perturbationes, ſeu animi affectus. Qui victus rationem omnem, & diætam, in ſola ciborum adminiſtratione ponunt, nimis eam contrahunt, & in anguſtum cogunt. Animati corporis ſubſtantia diſſolvitur, & carpitur perpetuo à calore inſito; niſi verò cibo utili reficeretur, interiret protinus vivens. proinde ut conſervetur, reponi & inſtaurari debet id, quod deperiit. hoc, ut dixi, fit alimento. Ea de cauſſa corpori ineſt appetitus alimenti, & facultates illud commutantes; de quibus ſupra. Quanquam ſanguis in venis, & qui in partibus extra vaſa concreſcit ros, propriè alimentum ſit, (hæc enim apta ſunt proximè in ſubſtantiam
noſtram

noſtram faceſſere) tamen alimentum hoc loco uſurpatur, quod nullam mutationem, aut alterationem in noſtro corpore perpeſſum eſt; ut panis, vinum. quod quanquam ex elementis conſtat, non tamen debet nimis eſſe diſſimile noſtro corpori; ut lapis, quia non coqueretur; ſed aliquo modo ſimile. Hoc eſt, cibus ſumendus non debet nimium contrariari corpori noſtro. tum enim eſſet medicamentum. cujus eſt agere in corpus, & non pati, ſicut contra alimenti eſt pati magis. Alimentum ergò converti debet in humanam naturam, ut ſubſtantiæ fluxus reparetur. nam potus ſiccitatem partium, & æſtum, tantùm temperat, niſi idem ſit potus, & cibus, ſimul. Alimentum omne debet eſſe animatum, aut ab animato fluxiſſe, ut lac, vinum. nam inanimatum ſi eſſet, nutrire non poſſet ob contrarietatem. Sumi ergò poteſt ex omni genere animaliũ, & ſtirpium. Di-

Diſtingui debet alimentum ſimplex à medicamentoſo. illud enim tantum vires reparat, nec morbum ejuſque cauſſam reſpicit : hoc verò præterquam quod vires reparat, morbo etiam reſiſtit, ut endivia, acetoſa, in febricitante.

Ad medicamentoſa alimenta pertinent omnia opſonia ; alimenta item refrigerantia, calefacientia, incraſſantia &c. Carnes, piſceſque, raro excedunt in qualitatibus primis activis, niſi condiantur aromatibus. nam quæ illis qualitatibus excedunt, ſunt herbæ & vegetabilia, ut vinum, cæpa, allium.

Veram ciborum temperiem, in qualitatibus primis, optimè venaberis ex ſaporibus; de quibus ſupra.

Alimentum attenuans, ſuccum tenuem præbet, ut panis triticeus fermentatus in clibano coctus, perca, aliique piſces ſaxatiles aceto conditi, pipiones, pulli gallinacei, turdi. Idem faciunt aromata, plurimæque

mæque herbæ earumque partes, & ſemina; ut hyſſopus, menta, origanum, petroſelinum, apium, ſemina calida &c. vinum album tenue. Incraſſans, ſanguinem viſcidum craſſumque gignit, ut oriza, lentes, fabæ, panis triticeus, ſecalinus non fermentatus, placentæ, lac caſeoſum, ova dura, caro porcina, bubula, cervina, omneſque carnes infumatæ, anguillæ, caſtaneæ, vina rubra, craſſa.

Qui valetudini conſultum vult, alimento nec incraſſante nimis, nec contra nimis attenuante uti debet. talis eſt panis triticeus, mediocriter fermentatus, & in clibano coctus, caro gallinarum, columbarum, phaſianorum, vitulina, vervecina, aliorumque caſtratorum, potiſſimum juniorum. piſces marini, (inprimis ſaxatiles, qui in magnis promontoriis degunt) ova recentia tremula, vina fulva, dulcia, ficus, uvæ paſſæ, amygdalæ dulces.

Quæ-

Digitized by Google

Quæcunque alimenta ſolidioris ſunt ſubſtantiæ, plus nutriunt; ut panis ex puro tritico bene fermentatus, caro animalium caſtratorum, vervecis, caponis &c. cancrorum item caro, & aſtacorum. at quæ ſubſtantiæ ſunt minus ſolidæ, ut ſorbitiones, panis hordeaceus, tum olera pleraque, aviculæ montanæ, vinum aquoſum, minus nutriunt.

Alimenta comparata cum humano ventriculo, vel ſunt facilis, vel difficilis concoctionis. Difficulter coquuntur panes fermenti expertes, caro cervina, arietina, bubula, infumata, piſces indurati quocunque modo. & ut verbo dicam, quæcunque nimis ſunt terreſtria. At panis probè fermentatus, ova tremula, lactuca, ſpinachia &c. facilis ſunt concoctionis. Fructus horarii, ceraſa, mala perſica, melones, facile corrumpuntur propter aquoſitatem. pira verò, mala cydonia, reliquaque nimis craſſæ ſubſtantiæ, diffi-

difficulter corrumpuntur.

Dividi ſolent alimenta à medicis in boni, & mali ſucci. hoc eſt, quædam generant laudabilem ſanguinem, quædam non. Laudabilem ſuccum generant panis triticeus bene fermentatus, coctuſque in clibano; ova recentia, carnes animalium caſtratorum &c. perca, merula, multique piſces, exceptis iis qui in paludibus & ſtagnis vivunt. at carnes animalium non caſtratorum, tum vulpium, aſinorum, aviumque carnivorarum, malum ſanguinem generant. Huc quoque referri poſſunt fructus horarii. Operoſum nimis eſſet hic omnes ciborum differentias perſequi. Omnis alimenti finis eſt nutritio, ſeu reparatio deperditæ ſubſtantiæ. Indicatur itaque victus à ſubſtantia noſtri corporis conſervanda. Quanquam per accidens in ægro nihil impedit, quominus reſiſtat cauſſæ morbificæ, & morbo. Per accidens, dico; quia

morbus non indicat victum, ſed medicamentum. nam morbus indicat ſui corruptionem, ſicut facultas conſervationem.

CAP. II.

De Forma Victus, & Quantitate.

TRiplex victus ratio conſiderari poteſt; craſſa, tenuis, & media. Craſſa, auget ſubſtantiam noſtram, pluſque reponit, quam calor conſumpſit. Tenuis minuit. Media tantum reponit, quantum calor abſtulit. proinde nec auget nec minuit. Si cui tamen lubet minutius dividere, victus craſſus, ſicut & tenuis, adhuc ſubdividi poſſunt. Victus enim craſſus, eſt vel ſimpliciter talis, vel exactè plenus; idem de tenui judicandum; niſi quod plura inferiora membra ſub ſe contineat. Eſt enim tenuis ſimpliciter, tenuis exquiſitè, tenuiſſimus ſimpliciter, tenuiſſi-

nuiſſimus exquiſitè: ſed hi poſtremi diu exoleverunt, quia ad inediam revocantur: eorum tamen loco aquam hordei, aut melicraton, exhibemus.

In idonea victus forma conſtituenda, conſiderandæ ſunt vires, alimentum indicantes. Hæ enim non tantum genus formamque alimenti, ſed & quantitatem modumq; præſcribunt: inæqualiter tamen. Sanorum enim vires aut augendæ veniunt, aut eodem ſtatu conſervandæ. Quo enim majores ſunt, eo plenius nutrire convenit; quo minores, eo parcius. In ægris vires cum morbo cauſſaq; morbifica conferendę ſunt, videndumque, an permittat, vel prohibeat morbus, aut cauſſa ejuſdem, quod vires inſinuant. Nam in his non permittit morbus, ut plenior victus inſtituatur. Diſtraheretur enim natura à coctione materiæ morbificæ. Nec hoc tantum, ſed plethora, aut cacochymia augerentur.

tur. Ergo in morbis chronicis vires eodem ſtatu ſunt conſervandæ, mediâ victus formâ. in acutis verò nonnihil debilitari ad ſtatū uſq; permittuntur, tenui victu. Quo enim acutior eſt morbus, & ſymptomata vigent, eo tenuiori victu utendum. quo minus acutus, pleniore, ut diuturnę coctioni ſufficiat natura. Ergò in morbis extremè acutis (hi quarto die judicantur) exactè tenuiſſimus victus inſtituendus eſt., ne natura avocetur à pugna contra morbum. In ægris enim norma victus eſt ſtatus morbi, quo tempore graviſſima urgent ſymptoma. Vires conſiderandæ non ſolum ſunt præſentes, ſed & futuræ; dandumque aliquid ætati, conſuetudini &c. ætas enim puerilis, temperatura calida, habituſque corporis rarus, liberalius cibare cogunt, ac plenius quam morbo expedit. Virium eſt prima dignitas. ad quas conſervandas victus inſtituitur. Si ergò præceſſerint vigiliæ,

liæ, aut evacuatio copioſa, procedendum eſt ad pleniorem victum. tum enim incertum eſt, an cum tenui admodum victu ad ſtatum perdurare poſſit æger. At ſi debilitas virium non ſit ab evacuatione, vigiliisq; diſſolventibus, ſed ob copiam crudorum humorum, vehementiamque ſymptomatum, victus minuendus eſt, non augendus. nec enim vires tum diſſolvuntur, ſed opprimentur. Quando itaque ægri vires diſſolutæ victum indicant, ſi morbus non urget, is plenior eſt inſtituendus. At ſi vires non urgeant, (non urgent, ſi non ſint diſſolutæ) ſed morbus extremè peracutus; tenuiſſimus victus eſt inſtituendus. In parvo morbo, conſtantibus viribus, quia nec ille, nec hæ urgent, medius convenit victus. Quicquid eſt, potior ſemper eſt ratio ejus habenda, quod magis urget. Verum, quemadmodum dixi, quia virium eſt prima cura & dignitas, ſi decli-

nandum eſt ad extremorum alterutrum, potius ad exceſſum, quam defectum, hoc faciendum eſt. Morbi vigor & ſtatus æſtimandus eſt ex ſymptomatum vehementia. Nam quidam morbi, ut pleuritis, peripneumonia, ſtatim vigent, habentque graviſſima ſymptomata, quæ, incipiente humorum coctione, leniuntur. alii morbi leniter incipiunt, augenturque paullatim, quemadmodum febres continuæ pleræque omnes; in quibus ſymptomata in principio non vigent, verum cum humorum completur concoctio. In illis ergò, quia in principio vigent ſymptomata, ſtatim etiam tenuiſſimus victus eſt præſcribendus. in his non item: nam in principio plenior victus eſt inſtituendus, in vigore autem tenuis admodum. Porro homo ſanus & ſuæ ſpontis, cibis ſatiari non debet, nec ad labores eſſe piger: nec eam ciborum copiam ingerere, quæ ventrem ſit gravatura.

vatura. quo vero quis minus exerceetur, parcius edendum. quo magis autem, liberalius edendum. in quibus omnibus habenda eſt conſuetudinis ratio.

CAP. III.

De Alimentorum qualitate.

QUalitas alimenti in ſanis æſtimatur ex temperamento, ætate, aliiſque adjunctis; regione nimirum, & anni temporibus. advertendum tamen, ſi regio, cœlique conditio, temperatæ ſint, temperatum ſimilemque victum indicare: verum ſi intemperatæ ſint, contrariũ. Non ita ſe res habet in temperamento, & ætate. Nam temperamentum, licet juſto calidius ſit, ac proinde intemperatum, non ſtatim indicat contraria; niſi reducere velis, ac commutare. tum enim ad contrarium victum eſt decurren-

dum. verum ſi conſervare vis, ſimilibus eſt utendum. Ita puer, quanquam humidus ſit, non exſiccandus, ſed eodem ſtatu conſervandus. Conſuetudini multum eſt dandum, inprimis in morbis. nam ejus eadem eſt cum natura indicatio. nam homo, alioqui ſiccus, ſi diu aſſueverit humidis, non amplius manebit ſiccus, ſed humidus evadet. Quid? quod conſueta alimenta, deterioris licet notæ, jucundiora tamen ſunt. Qui crudos humores coacervare ſolent, uti debent alimentis attenuantibus. Hæc enim incidunt, obſtructioneſque aperiunt. At, qui firmo eſt corpore, quique optimè digerit, medium victum inter incraſſantem & attenuantem eligere debet, cavendo ſemper ab alimentis pravi ſucci. In ægrorum victu inſtituendo habenda ratio eſt morbi, temperamenti. quibus nonnulli addunt conſuetudinem; quæ tamen meo judicio reducitur ad temperamentum.

tum. Morbus enim ſemper indicat contrarium victum. nam febris, intemperies nimirum calida, & ſicca, indicat humidum, frigidumque victum. temperamentum (quod conſervari debet) ſimilem. At ſi pugnent morbus & temperamentum in indicando, ut ſi bilioſus febricitet, certè non eſt alimentis calidis fovendus, ad ſervandum temperamentum. hoc enim modo intenderetur febris, corrumpereturque tandem temperamentum. ſed aut frigidum, aut temperatum cibum dare expedit. In quibus nunquam negligenda conſuetudo. ſicut nec denegandus cibus deterioris notæ, ſi vehementius appetatur: talis enim plerumque melius coquitur. Quod ad tempus attinet; ita habeto: ſani edant tempore conſueto: niſi forſan tum cibus prius ſumptus, nondum ſit concoctus, nec exoneratus ventriculus. Conſuetum tempus aut antevertere, aut

alioqui protrahere, conſultum non eſt. illud enim facit humorum cruditatem: hoc ventriculum replet pravis humoribus. Sin animus eſt horam mutare, ſenſim hoc fiat, non ſubitò. ægris cibus dandus tum, cum minus à morbo gravantur. Proinde ſi morbus careat typo, ut hydrops; retinenda eſt hora, in ſanitate conſueta. Sin typos habeat, ut febris continua tertiana; eligatur hora minoris afflictionis. In intermittente, eligendum declinationis tempus, aut quod longiſſimè abeſt à paroxyſmo: nam paroxyſmus, quantum fieri poteſt, declinandus eſt.

Si modum cibandi quæris; nimirum ratione, an ſæpè ſit edendum, parumne, an multum; in ſanis negotium totum pendet ex viribus, & indigentia: ita tamen ut concedatur aliquid ætati, conſuetudini &c. declinando ſemper nimis anxiam victus rationem, ex mente

Celſi.

Digitized by Google

Celſi. In ægris ſemper vires confe-rendæ ſunt cum morbo. nam robu-ſtæ, copioſum victum indicant; de-biles contrà paucum; mediocres vero mediocrem. Si vires alioqui robuſtæ conjunctæ ſint cum ple-thora, tum quia abundat intus nu-trimentum, raro, & paucis eſt nu-triendus æger. ſed ſi vires quidem conſtent, ſit autem humorum aut defectus, aut corruptio, ſæpe mul-tumque eſt edendum; modo nihil impediat. Impediunt non raró, pa-roxyſmus, & ſymptomata, quo in caſu ſæpè dandus cibus, ſed parum. ſi vires ſint debiles, ſitque copia humorum, raro dandum eſt ali-mentum, & paucum. Sin debilitas virium conjungatur cum humorum inopia, aut malignitate, parum ſæ-peque exhibere decet cibum.

Sed tempora conſideremus. Æ-ſtate, quia calor ambiens diſſipat vires, parcius, ſed crebrius, eſt eden-dum. Hyeme verò, quia ſanorum

corpora ſunt robuſtiora propter externum frigus, eorum diſſolutionem impediens, liberalius edere convenit; non tamen ſæpe. Sed in ægris aliter ſtatuendum videtur. nam licet hyeme corpora validiora ſint; morbus tamen eſt conſiderandus. Nam vis naturalis in ægro non tam bene coquit, quam in ſano. propterea ægri hyeme parcius cibandi, quam æſtate. nam hyeme minus corpora diſſolvuntur. At vere, medio (quia tum ægri ſunt plethorici, aut ad eam conſtitutionem proximè accedunt) parum, & raro exhibendum. ſi vires autumno ſint conſtantes; multum, ſæpeque edendum eſſe cenſent plerique. ſin contra debiles fuerint, parum & ſæpe.

Eadem eſt regionum, & ætatum ratio. nam certè in regione calida non eſt tam liberaliter edendum, quam frigida. proinde in calidis nati regionibus, cum in frigidas

perve-

pervenerunt, liberalius edunt. Nec enim Hiſpanus in patria tantum edere poteſt, quantum in Germania, aut Britannia. Idem de ætate judica. nam juvenes, quia eorum corpora diſſolvuntur magis, magis cibandi ſunt, quam ſenes.

Quærunt medici, utrum prandium liberalius debeat eſſe cœna, an contra. Illi, qui firmo eſt corpore, & ſano, melius eſt, plus in cœna ſumere, quam in prandio. non ſolum quia plus temporis eſt inter cœnam & prandium, quam inter hoc, & illam; ſed quia noctu melior fit concoctio. tum enim quieſcimus; at quiete melius coquitur cibus. nam motus magis facit ad diſtributionem, quam coctionem. At illi, qui catarrhis obnoxius eſt, quandoquidem ſomnus caput replet vaporibus, parcius in tali caſu cœnandum eſt. Potus qui tantum eſt potus (nam vinum, & cerviſia potens, etiam nutriunt) reſpondere debet

debet ſiti naturali. Proinde cōſtantibus viribus, ſi neceſſe ſit, quocunque tempore liberalis eſt concedendus. At ſi vires ſint debiles, parcus eſto, ſed creber. Hic attende, potus non tantum ſitim ſedat, ſed & alimenti eſt vehiculum quaſi. Nam coctio prima in ventriculo eſt elixatio, quæ ſine humore peragi nequit. Dum itaque edimus, reſpondere debet alimentorum copiæ. ſi multum editur, multum etiam eſt bibendum; non tamen ſimul, verum per intervalla. & quia alimentum, potus interventu, per venas diſtribuitur; qui eas anguſtas habent, plus bibant: qui vero amplas, paullo minus.

CAP. IV.

De ceteris rebus non naturalibus.

EX equamur reliqua non naturalia, initio facto ab aëre; qui ſub-

ſubſtantia purus, tenuiſque eſſe debet, ceterum qualitate, & temperamento, varius. Nam homo ſanus potiſſimum eligere debet temperatum; at æger, morbo contrarium. Proinde febricitās vivat in aëre frigido, contra hydropicus in calido. nam quoad ejus ſubſtantiam, puritatem dico, ea eſſe debet ægro cum ſano communis. Loca uliginoſa, paluſtria, & cadaveribus obſita, fugienda ſunt. in iis ſiquidem aërem putreſcere neceſſe eſt. contra loca ſicca, montoſa, ventiſque obnoxia, ſalubriora habentur. Quod ſi vivat quiſpiam in aëre parum ſalubri, corrigi debet, non ſolum intemperies, ſed & malignitas, aceto, odoribus, fumo rerum convenientium.

Ad ſanitatem conſervandam multum facit motus. nam corpus roborat, excrementa diſſolvit, cibum diſtribuit. Quod intelligi debet de moderato exercitio. nam magni labores corpus reddunt bilioſum,

lioſum, & tenue. Exercendum corpus, donec in tumorem, & molem elevetur, floridumque evadat, nec non donec ſudor calidus copiosè erumpat. ceſſandum, cum ſudor minuitur, & corporis moles contrahitur. Tempus maximè opportunum eſt ante cibos, peracta concoctione, depoſitis alvi, & veſicæ excrementis. pleno ventre hoc facere inconſultum eſt. nam alimentum adhuc crudum diſtribuitur, humoreſque funduntur. Ceterum qui temperamento eſt calido, & ſicco, parcius exerceri debet, quam qui frigido, humidove, aut alioqui temperato.

Sequuntur excreta, & retenta. quorum diligentiſſimam curam habere debet ſanus juxta & æger. Cum in omni concoctione ſuum ſit excrementum; ſi retineatur diutius, neceſſe eſt in corpore contentum tandem putreſcere, morbumque procreare. proinde ſanitatis ſtudioſus

dioſus providere debet, ut mature expellatur. Similiter læditur ſanitas, ſi expellantur humores qui retineri alioqui debent. niſi peccent copia. & quantitate. tum enim, quia fluxiones concitant, minuendi ſunt, ſicut de plethora diximus antea. Idem eſt judicium & ſanguinis menſtrui, hæmorrhoidum, lactis, ſeminis. quæ etſi ſola quantitate peccent, expelli tamen debent. alioqui ſunt promptiſſimæ morborum cauſſæ.

Quod dico, conſpicuum eſt in ſemine. nam diutius retentum, quod à caſtis viduis, puellisque fit, plurima inducit ſymptomata. corrumpitur enim, affectumque parit hyſtericum. Moderatus veneris uſus corpus reddit vegetum & alacre; immoderatus vires exhaurit, corpus refrigerat, nervoſque debilitat &c. Ætas veneri aptiſſima eſt juvenilis & virilis. Eam maximè ferunt temperati, aut alioqui calidi, humidiq;.

ſicci

ſicci enim frigidique ea læduntur. Inter anni tempora præfertur ver; poſt hyems, tum autumnus; quanquam quidam putent non improbabiliter, autumnum hyemi præferendum. Æſtate quantum fieri poteſt, abſtinendum, inprimis diebus canicularibus. nam tum corpora ſunt admodum debilia. Ceterum hora maximè idonea eſt matutina; tum enim ventriculus eſt vacuus. pleno ſtomacho hoc facere eſt noxium; motus enim crudum chylum ex ventriculo præcipitat.

Somni & vigiliæ ratio non eſt negligenda. Vigilia conſiſtit in functione animali, quâ alimentum diſtribuitur, excrementumque expellitur; ſomnus ad concoctionem magis facit, & retentionem. In utroque modus eſt tenendus. Vigiliæ enim nimiæ corpus exſiccant, vireſque exhauriunt. ita ſomnus juſto major, nimium humectat, calorem obruit, excrementa gignit.

Tem-

Tempus idoneum eſt nocturnum, (ipſæ tenebræ tum invitant) non ſtatim à cœna, ſed paullo poſt, interpoſita levi deambulatiuncula. Dormiendum eſt, quamdiu in ventriculo & hepate eſt alimentum. quod ſpatium creditur eſſe ſeptem horarum in homine ſano. jacendum eſt ſuper alterutrum latus, non tergum, niſi quis aſſuetus fuerit; illo enim modo melior fit concoctio. Ceterum ſi quis laboret morbo calido, ſomnus juſto longior eſt concedendus: niſi ſit viſceris alicujus inflammatio, quam ſomnus auget. at ſi morbus ſit frigidus, humiduſque, ſomnus eſto parcior. nam, ut dixi, ſomnus humectat. In paroxyſmo febrili vigilandum, quia calor magis ad interiora cogitur.

Tandem animi perturbationes ad tuendam, aut deſtruendam ſanitatem, plurimum poſſunt. Eæ enim concitant ſanguinem in omnem partem. Proinde ſi vehementiores fue-

ſuerint, non modo morbum, ſed & mortem inducunt. ita timor magnus interficit, ita gaudium. Hoc non facit ira, quia medio modo corpus alterat; hoc eſt, nec ſpiritus evocat ſubitò, nec etiam intus cogit; unde immediatè neminem tollere creditur. horum omnium legitimus debet eſſe modus in homine ſano. Ergò calidus fugiat iram, & immodicum gaudium. contra frigidus eoſdem affectus provocet; melancholicus triſtitiam fugiat.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Index titulorum totius huius libri

Liber 1

Cap. 1. De Medicinæ constitutione f 13.
Cap. 2. De elementis f 18
Cap. 3 De Temperamentis f 26
Cap. 4. De Calido innato et Spiritu f 39
Cap. 5 De Partibus f. 46
Cap. 6 De Humoribus f. 54
Cap. 7 De facultatibus in genere, et in specie de naturali f 64
Cap. 8. de nutritione et et accretione f 69

Digitized by Google

Cap. 9. De Hominis gene=
ratione f. 80
Cap. x. De facultate vitali
eiusq; affectionib; f. 90
Cap. xi. De facultate ani=
mali f. 95.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Liber 2

Cap. 1. De Morbi defini=
tione f. 116.
Cap. 2. De Morborum divi=
sione. f. 122
Cap. 3 De Morborum
causis f. 135.
Cap. 4. De Plethora et
Cacochymia f. 147.

Digitized by Google

Cap. 5. De Morborum causis in specie. f. 152

Cap. 6. De symptomatis f. 163

Liber 3.

Cap. 1. De causis symptomatum cerebri. f. 172

Cap. 2. De causis symptomatum externorum sensuum f. 180

Cap. 3 De Tactus symtomatibus f. 188

Cap. 4 De Motus symptomatibus, eorumque causis f. 195.

Cap. 5 De Symptomatibus vocis, Loquelæ, respirationis f. 205

Digitized by Google

Cap. 6. De cordis symptomatibus et causis. f. 209.
Cap. 7 De Morbis ventriculi et intestinorum. f. 216.
Cap. 8. De Morbis Hepatis Lienis etc.a f. 229.
Cap. 9 De Morbis renum vesica &c. f. 236.
Cap. 10. De partium genitalium morbis. f. 242.

Liber 4. De Signis.

Cap. 1. Signorum diuisio. f. 252.
Cap. 2. De Signis quibus pars affecta inuestigatur. f. 255.

Digitized by Google

Cap. 3. De Signis Morborum
et causarum internarum
f. 259.

Cap. 4 De pulsibus f. 266.

Cap. 5 De vrinis f. 289

Cap. 6. De Præsagÿs f. 292.

Cap. 7. De Crisi . f. 303.

Cap. 8. Quomodo sit futura
Crisis f. 308.

Cap. 9. De futura Crisis
tempore f. 313.

Liber 5.
de Medendi Methodo

Cap 1. De Indicatione f. 318.

Cap. 2 De Indicaõe præseruatiua
et conseruatiua f. 328

Digitized by Google

Cap. 3. De Medicamentis in genere . f. 335.
Cap. 4. De Medicamentorum facultatibus in genere. f. 339.
Cap. 5 De facultatibus Medicamentorum in specie f. 345.
Cap. 6. Modus explorandi vires Medicamentorum . f. 359.
Cap. 7 . de Medicamentorum compositione . f. 365.
Cap. 8. De Purgatione . f. 375.
Cap. 9 . De dosi Medicamenti purgantis . f. 384
Cap. X. De Phlebotomia. f. 389.
Cap. XI. Quantum sanguinis detrahendum. f. 397

Digitized by Google

Liber 6.

De victus ratione

Cap. 1. De Alimento. f. 403.

Cap. 2 De forma victus et quantitate. f. 410

Cap. 3 De alimentorum qualitate. f. 415.

Cap. 4. De cæteris rebus non naturalibus. f. 422.

finis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google